

cipem. Tum enim lumen huius, in quo forma quædam inest à supremo orbe impressa, in te effundetur, eiusdémque radiis illustratus, ac illi pene par effectus, vel etiam quodam modo cum eodem vnitus, tantum percipies adiumenti, ut supremam claritatem huiusque participes formas pro arbitrio possis assequi. Si verò ab illo auersus seiunctusque & ab eodem diuisus, ad te conuertaris, talem contemplationem amittes. Quam tamen postea recipere poteris, si interim corporeis sordibus non fueris contaminatus: sed ad Iouis stellam iterum conuersus, & cum eadem pene vnius eiusdémque substantiæ. Tum enim omnia, sicut antea, recognoscet: nisi quod ipsa disiunctione es interturbatus. Si autem ab hac stella alienus fueris, quoniam & vicissimi Iuppiter à te abhorrebit, nunquam supremum orbem attinges. Quare eos qui ad superiores essentias contemplandas aspirant, ad planetarum dominum, sic ut dictum est, oportet esse affectos. Maiorem tamen studio in mundi eius qui cœlestis superior est, quam in ipsius cœlestis, contemplationem incunibendum. Quoniam illius scientia quam huius, nobilior. Quæ tamen insignis quoque est, & ad illam alteram quasi suo lumine prælucet: nec sine hac intermedia quisquam consequi potest cœtemplationem supremani boni omnium pulcherrimi. Quo aspectus satiari nullo modo potest, & cuius contemplatorem cum illo vnum eiusdémque rationis esse oportet. Quis cœlicet vi intellectus penetrando, ad illam optimam lucem ingressus, similis efficiatur candelabro eidem adlucenti.

C A P V T . I I .

Sensus & intellectus comparatio, in cognitionis modo, explicatur: horumque similitudo & dissimilitudo in relatione ad res obiectas, circa quas versantur.

Quemadmodum aspectus non percipit aspectabilia, nisi cum illis idem efficiatur, vnitusque cum eisdem pro sua facultate illa perfectè cognoscit: sic humanus intellectus non potest intelligibilia cognoscere, nisi cum his vniatur. Et aspectus quidem extremitatem rerum percipit, intellectus autem quæ interiora sunt & abditæ. Quare firmiore vinculo vnitur cum iis quæ in intelligentiam cadunt, quam sensus cum illis à quibus mouetur. Si quidem omnis sensus functio si diuturna sit, sensum laedit: adeo ut etiam nonnumquam sentiendi facultatem adimat. Intelligenti verò munus aliter ad intellectum se habet: quoque hoc diuturnius est, eo magis intellectum confirmat, puriorēmque reddit, hoc ipso quod intellectus est. Præterea sensus vehementius afficit quam eiusdem intelligentia. Quoniam ille dolorem inficit, & egritudinem, hæc verò minimè. Sensus item naturalem habitum conuenientem non bene

A percipit, verbigratia, sanitatem, (nec enim hæc in sentiendi facultatem cadit,) morbum verò promptissimè percipit, ut naturæ contrarium, & ad hanc minime accommodatum: eaque omnia facile sentiuntur, quæ suapte natura dolorem excitant. Si verò sensui qualitates eiusmodi ignotæ sunt, quanto magis erunt substantiæ intelligibiles, quæ ab eodem longo interuallo distant valdeque sunt alienæ? Quare sensus intelligentias esse non concedit. Intellectus autem si has esse negaret, se ipse quoque negaret. Eset enim substantia corporea. Quo posito, iam expers esset rationis eius quæ ad intelligendum data: nec intelligentiarum essentias ut corporeas, contemplans, vñquam ad superiorem orbem huiusque mentes ascenderet. Quas contra superat cùm essentiam suam penitus intuetur.

C A P V T . I I I .

Mundi distinctione iterum explicatur. In qua ostenditur sensibilem ab intelligibili pendere, sic ut in sensibili, pars inferior & elementaris, cœlestis virtute regitur.

Cens humana cùm intelligibilem mundum perspexit, nobis renunciat in illo opus esse primo procreatū, summōque decorē exornatum. Quod neque laborem vulum patitur, neque molestiam, sed lætitia gestiō, in se ipso continet substantias exultantes, partim huius lumine, partim eo quod ab aliis essentiis influit. In quibus Iouis stella primaria est, exemplar omnium quæ in illo sunt. Neque hæc nusquam est, sed in alio orbe secundo, bono tamen illustri perpetuōque, ac ipsius primi imaginem continentē. Quare hic quoque bonus est & absolutus: quoniam superiorem imaginem primari formæ similem esse oportet. Rursus verò mundus hic infinitus cœlesti similis est, ut vitæ, essentiæ atque bonitatis causam in se continentī. Idemque perpetua successione in rerum ortu, quodammodo æternus: sic ut ille cœlestis æternus est. Si quidem omnis vita nostra, (cùm superioris similitudinem quandam in se contineat,) ab illo orbe continuata est. hic verò à supremo principio. Itaque erat qui existimat caducum esse intelligibile mundum. Quoniam huius primarius opifex constans, nec illi adimi quicquam potest. Cùm autem intelligentiarum procurator fuerit eiusmodi, illæ nequaquam ducient, neque peribunt, sed æternæ permanebunt: nisi idem opifex sponte sua ea in pristinum statum atque in nihilum regat. Quod fieri nullo modo potest. Quia eas procreauit nulla antegressa cogitatione, aut deliberatione: sed alia tantum intelligentiæ specie. Quare primaria lux, quæ vera est essentia, sine fine easdem conseruat. Hacque ratione formæ atque perpetuae eiusmodi intelligentiæ permanebunt.

EEE ij

CAPUT IV.

Cur lucis nomine Deus à nobis soleat exprimi, quòque modo per cæterarum rerum abstractionem & negationem cognoscatur: deinde quis ordo sit mundi varij & multiplicis, ad intellectum agentem, & ad animum humanum.


Primaria lucis appellatione primum opificem exprimimus, necessitate quadam coacti. Quoniam eius essentiam, qualis ipsa in se est, explicare non possumus, neque attingere. Atque quantulumcumque est quod mens humana in illa intelligit, id abstractione quadam & huic quasi succenturiata negatione assequitur, gradatim ascendendo: donec defatigata conquiescat ut imperfectissima. Quandoquidem hæc omnium rerum procreatarum, quæ intelligendi vim habent, est infima. Rursus igitur ad institutum regressi, dicamus principem essentiam, quæ lux est infinita, nulla ex parte interire: ideoque ab illa perpetuo illustrari orbem eum qui cælesti superior est, & ab hoc cælestem. Ex quo etiam secundus hic, qui in infimum principatum obtinet, sempiternus futurus est, tanquam ramus ab illo primario enatus. Et quamquam princeps superioris mundi, ab inferiore

A pauca accipiat, hunc tamen conseruare conatur. Porro intelligibilem mundum lux primaria conseruat, illæque cælestem: hic verò infimum qui in sensum cadit: inter quem & ipsum intelligibilem medius est. Omnes autem continentur atque consistunt virtute primi opificis, qui eos suo numine confirmat, & sustinet: ut pote qui mundum primum exornat, à quo reliqui pendent: qui que infinitus est virtute sua, bonitate ac pulchritudine. Hunc subsequitur intellectus agens, ab eodem illustratus, parsque intelligibilis optima & nobilissima. Agenti intellectui proximus animus, ut eiusdem imago. Qui contemplando mundum intelligibilem, longè pulchrior efficitur: tandemque talis permanet, quandiu illum inquietur: contrà verò ab eodem auersus, priuatus suo lumine, deformatur. Quo etiam modo nos ipsi quandiu animum nostrum intuebimur, in eodemque consistemus, pulchri probique erimus: ab illo autem auersi & quasi transfugæ, turpes efficiemur & improbi. Præterea cælestis mundi animus venustatem pulchritudinemque suam in stellam Veneris potissimum immittit: deinde illa ab hac communicatur cum mundo hoc C qui in sensum cadit. Non enim, ut antea dictum est, terreni mundi pulchritudo, ab alio quam à cælesti existit.

DE SECRETIORE PARTE DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECUNDUM Ægyptios, Aristotelis Lib. X.

CAPUT PRIMUM.

In homine duo principia, quibus constat, inter se comparantur: atque ostenditur quo modo ipsum corpus, animo sit organicum.



V N C considerandum est num vtraque hominis pars interire possit, an vnatantum, altera mortali permanere, & quæ eiusmodi natura sit. Idque ut perfectius intelligatur, naturali ratione inuestigandum est. Homo simplex non est, sed constat animo & corpore, quod instrumentum est cum animo coiunctum, ab aliisque specie diuersum: quodque quamquam cum animo aptissime vniatur, non ta-

D men est eiusmodi ut ab eo separari nullo modo possit: aut ut ipsum in se sit satis constans atque firmum. Si quidem compositum est, non simplex. Omne autem compositum, dissoluble est in ea ex quibus componitur. Quibus efficitur, illud nequaquam permanere. Idque res ipsa testatur. Si quidem videmus corpora variis modis dissolui, tum ab aliis, tum à seipso: præsertim cum ab eis nobilis animus fuerit separatus. Cœtra verò, si corpus permanet, superioris animi beneficio conseruatur: nec sine eo vnum est, aut naturæ constantiam ullam habet. Quandoquidem dissoluitur in materiam & formam ex quibus constat. Animo autem abeunte, quo corpus ipsum continebatur, hoc ut quantum, diuiduum est in tenues partes. Atque hæc in illo interitus species una est. Cum itaque corpus sit hominis pars altera, efficitur non vtramque partem in illo interitus experiri esse, sed unam interire, eam

scilicet in qua animi est instrumentum. A Quo ille indiget, non semper, sed tempore definito. Alioqui dissoluto instrumento animum quoque interire esset necesse. Quod certè non contingit, quoniam animus à corpore separatus, adhuc permanet, nullaque ex parte consumitur, nec eius natura ullum interitum admittit: formaque est per quam homo est & consistit. Quare etiam ipse verè animus est: corpore autem indiget, sicut artifex instrumento. Nec tamen hoc intereunte, ipse B interit. Corpus autem animi instrumentum esse dicitur: quia ut artifex indiget instrumentis ad opus accommodatis, verbi gratia, faber securi, futor aeu, messor falce, nauta remo: sic animus aptum corpus sibi expedit in quo sit, animique facultates, partes corporis organicas, in quas ipse intuit. Id verò ita esse ex eo intelligi potest, quod animus in suis facultatibus corporeis temperationem sequitur. Si quidem eius actiones manifestam veritatem recipiunt, corpore quavis de causa, ut ab ægritudine, immutato. Contráque multa corpori accidunt propter animum eodem ut instrumento ventem: ut tristitia, metus, cupiditas, lætitia, dolor. Quare inter ea affectionum communicatio & commutationis quedam vicissitudo, indicant corpus aptum esse oportere ad seruendum animo dominanti. Idque amplius ex eo etiam intelligitur, quod animali aliquo, sicut accidere solet, intereunte, nunquam alterum exortetur cui idem animus accommodari possit: ut cuius animali animus proprius insit; non autem retro commeando, cuius animo subiectum sit proprium animalis corpus. Nam quia preparato corpori animum respondere necesse est, idcirco temperationem eius non eandem esse oportet in animoso & timido: quemadmodum non eadem sunt ferramenta fabri & futoris. Itaque quia animus in leone elatus est, prudenter sibi accommodauit corpus instrumentis distinctum ad opportunitatem. Cui dedit os solidum ad robur, dentesque ad morsum: Cani leues pedes ad velocitatem cursus: equo duram vngulan ad pugnam, reliquaque actiones: Boui corpus cornigerum & ad labores magnum, ceteraque distinxit pro dignitate vel indignitate functionum. Ut cum leporis animus expers sit audacia & roboris, ad evadendum periculum, corpus leue conformauit: cui autem sagax ad euitanda potentiora animantia.

CAPUT II.

Animo humano perfectissimo, corpus organicum perfectissimum à natura esse subiectum:

& in huī manū primum organū esse sc̄um, cuius vi infinitam aliorū instrumentorum varietatem sibi potest componere.

C Vm animus humanus nobilior sapien-
tiō r̄que sit reliquis, eoque diuinæ substa-
ntiæ propinquior, corpus quoque om-
nium nobilissimum sibi præparauit, & mem-
bra aptissima ad artes tractandas. Cūmque
ad opera varia, in quæ incubit, variis in-
strumentis indigeat, neque potuerit ea om-
nia in coniuncto corpore formare; vnum
adornauit, ipsam scilicet manū, aptam ad
illam multitudinem diuersorum instrumen-
torum construendam. Quoniam si instru-
mentum haberet vnicum & ad vnum tan-
tum usum destinatum, non posset cætera
conficere. Dedit quoque corpus erectum,
atque in eodem ad ipsas manus, pedes ad-
iecit, ut possit multas alias animantium spe-
cies opinione penè innumerā, varietate
gestus imitari, hotūmque multiplices mo-
tus effingere. Quod facere non posset, si
de illis vnum tantum naturalem haberet.
Quia in vnum hominem quodammodo ca-
dunt ea omnia quæ in reliquis animantibus
sunt distincta. Ut leonum imperium, ad
quod vtitur, lorica, clypeo, arce: eoque
magis instruitur balista & ariete, ad muros
diruendos eaque propulsanda quæ sunt no-
citura. Itēmque telis ad pugnam, equo ad
celeritatem, qualis inest lepori: & ad na-
turalem præcautionem, qualis in oue. Quæ
omnia homo vi instrumentorum quæ sibi
comparauit, potentiora habet quam belluæ.
Idēmque dirigente facultate intelligendi,
multa facit exquisita, quæ naturalem cogi-
tationem superant, (naturalia enim habet
cum belluis communia,) ut quæ arte con-
stant, verbi gratia, musica instrumenta fidibus apta, & ex arte iis vtedi modum.
Atque præter sonora instrumenta quæ ex-
cogitat ad exprimendas cum voluptate bel-
luarum voces, inuenit etiam retia, quibus
volatilia, pisces ac feras, captat sibique sub-
iicit. Variam quoque commoditatē per-
cipit ex aqua, aere, sole, luna reliquaque
stellis, Et mentis prouidentia rectas leges
fert, morēsque componit: libros edit qui-
bus scientiæ continentur: literarum formas
innouat: sphærásque varias, quæ nobis sunt
pro cælestibus orbibus, & horarum ratio-
nem continent. Atque multis antè seculis
prognostica describit, præsentibus, iisque
qui post nos victuri sunt, profutura. Quare
sicut ante dictum, corpore est erecto, eoque
à belluis differente: apto tamen ad eas
formas imitandas quæ belluis insunt, aut
cum iis coniunctæ apparent, quas in variis
actionibus varias induit. Aliter enim com-
positus est ambulans, quam equo insidens,

& disputans quām scribens. Fabri quoque situs in obeundo proprio munere, alius est quām sutoris. Atque conuiua in accubitu differt ab arante: sicut & qui cānit, à stercente; & qui lyra vtitur, ab eo qui tynipanum pulsat.

CAPUT III.

Vt corpus humanum in manu aptitudinem habet ad omnia instrumenta conformanda, nullum autem horum ingenitum: sic in mente ingenitam facultatem esse docet ad omnes formas intelligibiles recipiendas, nullam verò harum ingenitam. Vnde quæstio Platonica de recordatione vita superioris, quæ hoc loco proponitur.

A nimus belluarum, ut antea expositum est, dedit animalibus, quibus inest, tam instrumenta actionibus accommodata, quām naturales impetus profuturos ad ea propulsanda quæ nocitura, pro singulorum conditione. Humanus verò neutrum homini largitus est: sed corpus tantum agile instituit, pro varietate instrumentorum, dicitatēque dedit sine peritia, pro naturali impetu. Alioqui si is scientiam à natura secum deferret, nunquam hunc infimum orbem appeteret: nec ea disciplina indigeret, quæ posita est in abstractione à sensibus formis. Nisi fortè quis respondeat, illum quidem naturali peritia esse prædictum, sed cum hic inuolutus sit, non posse illam detegi sine eruditione: nec præteriorum recordationem in eodem excitari, nisi à rebus inferioribus adiuuetur. Quod profectò non ita se habet. Quoniam ille non continet ullam formam corpoream qua antea quasi inuoluatur: alioqui ab ea nullam aliam admitteret. Quare neque intelligendi vim haberet. Sic enim aër & aqua si quem proprium colorem haberent, alium ab illo non susciperent, neque per hæc media quicquam videretur, nisi sub unius coloris specie: cum tamen ea elementa accommodata sint ad percipiendas omnes colorum differentias. Quod etiam de sensu instrumentis est intelligendum. Si enim oculus natuum & proprium colorem aliquem haberet, alium ab eo non perciperet. Idemque de auditus, odoratus & reliquorum sensuum instrumentis verè dici potest. Quare cum animus paratissimus sit ad recipiendas per abstractionem formas onines rerum sensilium, nullam earum profectò insitam habet: Ex eoque formarum locus dicitur. Quod maximè de ea parte est intelligendum in qua inest ratiocinandi principium. Quæ cum ita sint, hæc per se proprias actio-

A nes exercet, sine ullo instrumento corporeo. Ideoque interitus omnino est expers.

CAPUT IV.

Prima functionum animi distinctio explicatur, in eas quibus cum corpore necessariò communicat, & in alias in quibus corpore potius impeditur quām adiuuat.

A nimus humanus ignobiles quasdam functiones habet, ad quas corpore indiget, ut eas quæ sunt facultatis orationis ceterarūque artium, quas sine membris tanquam instrumentis ad eas destinatis, exercere non potest. Ad plerasque autem cogitationem adhibet, ut in deliberando atque contemplando: cum ex manifestis ad ea quæ latent, progreditur. Alias verò nobiliores habet ab intelligendi virtute manentes, & quas ipse pro sua facultate exercet, sineulla progressionē ab uno ad alterum: ad hásque nullo corporis ministerio indiget. Omnis autem forma quæ corporis instrumentis ad edendam actionem non eget, interitus expers est. Quoniam eadem quoque simplex est. Quod autem eiusmodi, in alia dissolui non potest: sed constans permanet, nullaque ratione absuntur. Atqui animus simplex est. Siquidem ex eo intelligitur compositum illum esse non posse, quod simplicium formarum atque repurgatarum locus sit, eisque attingat æquabiliter, nec in meditando magis celeriusve unam recipiat quām alteram. Non aliter quām speculum rerum obiectarum imagines, aut aër colores, sonos, odores, rerūque aliarum in sensum cadentium formas excipit, sine ullo discrimine aut perturbatione: quas ad sensum defert, conseruatque pro singulorum ratione. Quæ functio animo secundum naturam inest, atque semper. Quod autem simplices formæ recipit, interire non potest. Quodque simplex absolutè, omni ex parte est sui simile. Cum itaque animus utroque modo se habeat, efficitur hanc interire non posse.

CAPUT V.

Ex infinita discendi cupiditate in homine, animi virtus infinita colligitur. Qua posita, eiusdem immortalitas iterum concluditur, repetita superiore sententia de scientiis minime ingenitis.

Amplius etiam animus rationis particeps secundum naturam sempèrque discendo agit. Quoniam videmus hominem quædam semper in vita hac ignoran-

em, assiduè discere, nec vñquam in huius natura, discendi studium deficere: imò verò pro eo quod discendum superest, eundem in discendo pergere. Atque quod est eiusmodi, idem perpetuo sibi simile est, aut etiam melius euadet, si magis tale efficiatur. Quoniam quòd ita progrediendo facultatem suam semper adauget, neque in hac finem vllum attingit, id virtutis est, quæ neque interruppi potest, neque deficere. Hoc autem vires habet infinitas. Ex quo efficitur, neque dissolui posse, neque inten-
rire: sic vt contra accidit vt corpus quod terminatum est & finitum, dissoluatur atque
intereat. Positum autem est hominem assiduè noua quædam discere. Quia vt antea confirmatum, natus est informis rerumque omnium ignarus: nec vllam doctrinam ha-
bet à natura insitam, sed solam facultatem ad eas percipiendas. Eiusdémque animus procreatus est non iam eruditus, sed qui in scientiis & moribus gradatim potest erudiri. Alioqui ne discere quidem quicquam pos-
set: quemadmodum neque planta, quia ad discendum nullam habet facultatem inge-
nitam. Si verò homini certa quædam do-
ctrina à natura esset insita, hæc illi satis es-
set, propriaque foret, nec fieri vlo modo posset vt aliud disceret, sicut in reliquis ani-
mantum generibus rem se habere depre-
hendimus. Ex quibus apparet nullam scien-
tiam simul cum homine esse natam, sed so-
lam facultatem ad eam percipiendam: sicut oculo nullus color est ingenitus, sed sola vis ad omnes recipiendos. Est n. eadem ra-
tio animi ad ipsa intelligibilia, quæ oculi ad ea quæ aspectabilia sunt: vtque aspectus est oculi perfectio, sic intelligendi actus, ipsius animi. Ac quemadmodum oculus si-
ne discrimine se habet ad omnia aspectabili-
lia: sic animus ad omnia intelligibilia. Am-
plius etiam vt oculus reipsa non videret, ni-
si ad videndum esset præparatus: sic neque animus reipsa intelligeret, nisi in eo ante-
gressa esset ad intelligendum quædam apti-
tudo.

CAP V T VI.

*Ex superiori aptitudine ad omnes formas in-
telligibiles recipiendas, colligitur simplex om-
nimo animi natura, & ex hac rursum eius-
dem immortalitas.*

A nimus, vt antea dictum est aptus est ad recipiendas omnes formas, eas à rebus sensilibus abstrahendo. Quare in sua substantia nullam eiusmodi formam habet: sed solam aptitudinem, quæ illius prima forma est, eadémque propria. Siquidem animus hoc ipsum quo animus est,

A habet ab hac ad recipiendum facultate: ac, vt s̄xpius dictum, si certa forma vlla ani-
mo inesset, is ad omnes reliquias recipien-
das ex æquo aptus non esset. Quoniam hæc aliis hoc ipso débilitoribus quod essent aliena, recipiendis obliteret. Portò si ani-
mus nullam habet propriam formam atque insitam, in se ipse simplex est præsentim cùm omne compositum, propria forma sit præditum. Erit igitur animus compositio-
nis expers & simplex, talisque absolute, non secundum relationem ad alterum. Quoniam simplex aliquid esse, dupliciter intel-
ligitur. Aut enim eo modò quo simplex esse dicitur subiectum primum: quod prin-
cipium est omnium corporum, aptum ad omnes formas, dimensionesque tres & qua-
tuor qualitates. Quod quidem ex aliis nul-
lo modo compositum est, atque idcirco ab-
solutè simplex appellatur. Alio modo sim-
plex aliquid esse dicitur, per comparatio-
nem cum iis quæ ex eodem componuntur:
vt elementa quatuor, veibi gratia, ignis,
aër, aqua & terra, quando cum mixtis con-
feruntur, simplicia nominantur: compo-
sta autem cùm referuntur ad materiam tri-
plici dimensioni subiectam, & ad qualita-
tes quatuor simplices. Itémque animalis corpus si ex quatuor primariis qualitatibus spectetur, compositum est: idémque sim-
plex, si ad plantas referatur. Et plantæ com-
positæ sunt ratione elementorum, eadém-
que simplices ratione humorum. Humores quoque compositi sunt, si plantarum ratio-
nem habeas: simplices, si spectentur ex com-
paratione cum partibus quæ sui simi-
les sunt, in quibus habentur ossa, nerui,
venæ. Quæ rursum compositæ sunt ex hu-
moribus: simplices autem, si ad instrumen-
tarias referantur, vt ad carnem, cerebrum,
iecur, caput, manus, & quæ iis similes sunt.
De quibus nonnullæ spirationis instrumen-
ta sunt, quædam nutritionis; aliæ ad eden-
dam vocem datæ, aliæ ad sensum ac mo-
tum & ad dirigendum corpus, quædam etiam ad procreationem, aliæ ad cogitatio-
nem, vel ad operis alicuius effectiōnem.
Quæ omnia ad corpus relata, simplicia sunt: ipsum verò corpus absolutè com-
positum, Quoniam ex eo amplius aliquid com-
poni nullo modo potest, ratione cuius sim-
plex esse datur. Triplex autem dimensio siue soliditas, singulæ qualitates quatuor,
prima item materia atque forma, in sim-
plicibus absolutæ habentur. Atque mate-
ria prima quodammodo intelligitur sub-
iectum ultimum, quod quidem cogitatio-
ne abstractis à corpore qualitatibus primis
& secundis, trinaque dimensione, qui-
bus ipsum subest, adhuc saluum manet.
Illaque simplex est absolutè & omnis per-

EEE iiiij

mixtionis expers. Quamuis autem animus A corporis membra componat informetque ex elementis, triplici dimensione, & ex qualitatibus, atque regat totum corpus in quo est, extrinsecus tamen illi aduenit. Quoniam eidem proprius est orbis iste superior, à quoquo modo in hunc descendat, antea dictum est, & paulo post repetendum. Ex quibus efficitur, animum non esse formam compositam, sed omnino simplicem. Cúmque omnis corporis coagmentatio sit dissolubilis in ea ex quibus constat, quod autem omnino simplex est, dissolui nullo B modo possit, idéoque interitus sit omnino expers, consequitur animum immortalem esse oportere.

C A P V T VII.

Occupatio est nonnullarum dubitationum, quarum explicatio nouam confirmationem continet immortalitatis animorum.

Si quis verò contrà contendat, animum quidem sua essentia simplicem esse, sed non perfici sine corporeis instrumentis: quòd scientiarum perceptione hic perficiatur, ad quarum principia sensibus dirigimur, quibus corporea instrumenta subseruiunt: hisque rationibus effici arbitretur, illum ad sui perfectionem corporeis instrumentis indigere: eoque posito idem concludat necesse esse intereuntibus eiusmodi instrumentis, animum quoque interire: atque amplius adiiciat, substantias omnes, præter opificem primum, ex materia & forma constare, itemque, animum ea contemplari quæ congenera sunt, neque tamen exquirere quæ à materia sunt sciuncta: quare & cum cum rebus materiatis conuenire, idque apparere in communi vnu instrumentorum ad corpus pertinentium: huic idem quod antea, respondebimus, animi scilicet operationes triplices esse. Quarum vna à communicacione cum corpore proficiscatur; reliquæ verò duæ corporeis instrumentis non indigeant. Hæ verò versantur in deducendis conclusionibus ex accommodatis principiis, & in progrediendo ab uno præcognito ad alterius cognitionem. In quo animi dignitas propriaque functio existit. Falsum verò est substantias alias omnes à prima, ex materia & forma constare, animumque eas sola intelligere quæ cum materia sunt coniunctæ. Siquidem plurimæ à materia separatae sunt, quarum numerum priùs in Metaphysicis collegimus, eodemque loco confirmavimus, substantias eiusmodi, quia materia carent, perpetuas esse & interitus expertes: quæ superiores intelligentiae appellantur.

C A P V T VIII.

Accuratiūs confirmatur quod erat propositum capite superiore, intellectum humanum, etiam in vita hac, contemplari formas à materia & sensilibus qualitatibus separatas.

Idem quoque amplius ex eo apparet, quòd si solus primus opifex à materia separatus sit, animusque eum solum eiusmodi esse cognoscat, efficitur, hunc Dei cognitionem habere, quæ certè per corporeum instrumentum parari non potuit. Ad hæc contemplatio qua animus se ipse intuetur, in corporeo instrumento non est posita: quoniam eius substantia neque corporea est, neque vlo sensu percipi potest. Id verò solum corporeo instrumento percipitur, quod in sensum cadit. Qua ratione efficitur, animum non in omnibus rebus exquirendis corporeo instrumento indigere. Hæc autem operatio quæ nullo instrumento indiget, eidem propria est. Adde quòd animus formas à materia abstracto, detegit, easdemque detectas in essentia sua attingit. **C**Quare eius substantia quæ formas eiusmodi attingit, à materia repurgata est, neque in sensum potest cadere. Animus igitur prīmò contemplatur ipsas rerum essentias puras, sine instrumento materiali: deinde principia componit, ex iisque connexis progressitur ad formas antea incognitas, vt pote quæ in sensum non cadunt, easdemque speculatur sine vsu vlli instrumenti corporei. Quod munus illi proprium est, & pro eiusdem conditione nobilissimum: nec ex obiecto repugnantiam ullam habet. Quare animus tam eas formas quæ cum materia coniunctæ sunt, quæ ab eadem separatae, sine instrumento corporeo considerat: sed posteriores multo magis, vt pote quas simpliciores magisque abstractas intelligit. Et certè quamquam animus sit expertus materiali, tamen etiam intelligendo attingit formam cum materia coniunctam: alioqui omnino contrarius esset sensui, à quo tamen primo in considerationem singulorum deducitur, deinde supra sensum ad vniuersa excitatur. Ut hunc hominem percipiens, ad hominem absolute assurgit, iudicatque omnem hominem esse animal, hoc vniuersum de quovis intelligens, præsente, præterito atque futuro. Neque verò istud sensu perficitur: quoniam sola præsentia percipit atque singula, sed pertinet ad facultatem superiorē, quæ est ipsius intellectus. Qui solus absolute comprehendit vniuersa, ad quæ proficiscitur excitatus à sensibus, quorum beneficio qualitates cum materia coniunctas considerat. Atque quamquam singulum & vniuersum

duo

duo quodam modo sint, unus tamen animus utrumque horum considerat, singulum quidem sensu, uniuersum autem intellectu, huius formam comprehendens non hoc ipso quod in materia est, aut ex materia, (quod quidem sensus facit,) sed repurgat ab omni conditione materiae coherentemque ultra essentiam. Verbi gratia, informatione mentis concipit lineam sine qualitate corporea, coloraque sine figura, abstrahendo vnam ab altero, id est, unum horum sine altero intelligendo.

C A P V T I X.

Communis intellectus cum eo qui singulis hominibus proprius, in functione munera comparatur: ex divisione formarum intelligibilium iterum confirmatur, intellectum nostrum in proprio munere, instrumento corporeo non indigere.

Superioribus igitur rationibus effectum est, animum ad intelligendum, corporeo instrumento nihil indigere. Quoniam ipse sibi, viae essentiae, in eo munere sat est. Atque etiam dictum, quo modo intellectus is qui singulis proprius, iudicando similis efficiatur communi intellectui, qui, ut multo ante expositum est, insitas habet formas, omnia in se continentes: ideoque externo auxilio nullo indiget, sed solam essentiam contemplatur, & in hanc influentem ipsum opificem. Sic quoque intellectus is qui singulis est proprius, cum eorum quae sunt, formas attigit à materia repurgatas, externo adiumento nihil amplius indiget, sed ipse sibi tatis est ad obeundam functionem. Quod quidem ut apertius sit, intelligendum est, de rebus, quasdam esse omnino cum materia coniunctas, quales sunt quae per materiam simul sumptam ab intellectu definiuntur: Ut simitas, quae secundum essentiam à náso non separatur, definiturque depresso seu cuitas in extremitate tenasi. Eodemque modo par & impar, per numerum definiuntur: cæteraque similia, quae intellectus non contemplatur sine proprio subiecto, quod in definitione usurpatur. Res verò alias esse sine materia, hásque rursus duplices. Quædam enim neque essentiam habent ex materia pendente, neque cum illa cohærent. In quibus sunt primus opifex atque spiritus qui omnino à materia sunt separati, neque vlla ratione huius participes. Aliæ verò, sunt quidem secundum essentiam à materia separatae, sine hac tamen non possunt existere: in quarum definitionibus subiectum non usurpatur: sed eas intellectus sine hoc contemplatur. Ideoque res eiusmodi uniuersæ appellantur, ut, verbi

A gratia, soliditas, extremitas, linea, punctum, numerusque qui absolutè dicitur. Quamquam enim quæ sub iis sunt, res singulæ, cum materia coniunctæ sint, quando tamen uniuersæ intelliguntur, ab illa separantur. Quæ cùm ita se habeant, fieri potest ut intellectus contemplans, ea quæ à materia sunt abstracta, sine corporis instrumento materiato attingat. Namque confirmatum est duas esse proprias functiones ad quas obeundas illo non vtitur. Quod autem est eiusmodi, idem quoque possumus B est interitus expers esse. Atque iis satis abunde ante respondimus qui animum corporeum esse arbitrantur, nunc verò iterum dicamus, futurum ut animus, si corporeus sit, instrumento corporeo indigeat. Quare si hoc non indiget, neque certè corporeus est: retróque commeando, corporeus non est, corporeo instrumento non eget. Quoniam id omne caducum est quod in agendo corporeum instrumentum desiderat. Quod verò minimè caducum est, ad obeundam actionem tali instrumento non indiget.

C A P V T X.

Ex intelligendi munere, rursus concludit, animum nostrum quamquam in corpore sit, corporeum tamen dici non posse.

Amplius etiam ratio altera occurrit ad docendum, animum ratiocinandi vi præditum, corporeum esse non posse. Quoniam si omnino intelligendo esset eiusmodi, is certè aut per pauciores sui partes, aut per plures, aut verò per omnes intelligeret. Atqui si per plures, aut per pauciores intellectus, reliquæ in ignoratione, crunt occiosæ. Si verò dicamus cum per omnes partes intelligere, non autem altero ex iis modis qui iam sunt expositi, necessarium erit quilibet parte idem intelligi quod altera: ex eoque consequetur (quod quidem falsum est) animum unum, rem eandem saepius intelligere, idque in infinitum progrediendo. Ad hæc quo modo animus partibus omnibus indigebit ad intelligendum? Quoniam si de corporis cognitione agitur, hæc non nisi per contactum percipitur. Quare erit necesse solam partem animi extreamam, quæ rem contingit, intelligere: reliquas quæ rem non tangunt, non intelligere. Si verò quis illud dicere malit, animum perfectiōnem esse quæ per plures sui partes cognoscit, falsum quoque id esse contendemus. Quia quod unum cognoscitur, id per plures partes cognosci non potest. Præsertim cùm diuersæ facultates in cognitionem incumbentes, res suis essentiis diuersas cognoscant, ut tactus & aspectus. In quibus quod unius obiectum est, idem ab

obiecto alterius est diuersum. Actactus quidem plura diuersaque percipit, in obiectum genus cadentia, itemque aspectus, sed sub una eademque propria ratione sentiendi. Amplius si animus per contactum partium quadruplicem dicatur intelligere, is minorem corporis partem contingens, eam non intelliget, cum illam magnitudine superet. Si vero maiorem contingat, nihilo magis hanc intelliget: quippe cum minor sit. Eaque ratione neutram poterit comprehendere. Hoc autem ex eo falso appareat quod animus par facultate maiorem minoraque rem potest percipere. Ex quibus concludendum est, animum corpus non esse. Cuius quidem opinonis assertoribus, rationibus quamplurimis evidenteribus, satis abunde restitimus in nostro opere de animo.

CAPUT XI.

Nouæ adhuc rationes colliguntur ad confirmandum, eam animi partem qua constamus, nullo modo corpus dici posse.

Si quis vero adhuc obstinatè contendat, animum rationis & intelligentiae participantem, futurum interitui obnoxium, quia corpus quoddam est omnium tenuissimum, attentius id considerandum erit, atque imprimis inuestigandum, utrum omnino animus corpus sit. Et quanquam de eo antea quesitum sit: nunc tamen nouis rationibus idem est confirmandum. Animus, si corpus est, procul dubio compositus quoque est, & natura continua constans: cum omne corpus, vere sit eiusmodi. Si vero compositus est & de genere continuorum, dubium esse non potest quin idem dissolubilis sit atque diuiduus. Qui quantumvis tenuis esset, eiusmodi tamen dissolutionem videremus: quam quidem concedere esset necesse. Atque quemadmodum vita quæ ab animo est, hoc ipso quod animus est, ab eadem non potest separari: sic si animus corpus esset, hoc ipso quod corpus est, vita à nullo corpore possit separari. Hoc autem falso esse ex eo intelligitur, quod de corporibus quedam sunt quibus secundum naturam vita inest, ita ut ab eis separari non possit: alia vero minimè sunt eiusmodi. Porro corpus omne aut infinita compositione constat ex aliis corporibus, de quibus alia aliis infinito quodam ordine succedant, aliaque sub aliis continentur: (Quod autem esset eiusmodi, id quia indefinitum, in cognitionem nostram non caderet, Atqui experimur animum & definitum esse & in cognitionem cadere: Ex quo efficitur, illum corpus eiusmodi esse non posse:) Aut vero corpus finita compositione constat, ut in hac perueniri sit necesse ad unum primum, simplexque, quo nullum aliud corpus prius sit, aut simplicius, quod certè ita est. Quandoquidem cle-

A menta ponimus, Ignem, Aerem, Aquam & Terram: neculla ratione cogimur in corporum compositeorum dissolutione, in infinitum abire. Atqui absurdum etiam est, animum in horum corporum simplicium genere, ponere. Quoniam si esset eiusmodi, vitam quoque perennem haberet, eandemque naturalem & quæ separari nullo modo posset. Quare apud eos qui in illa opinione essent, neque simplex foret, neque in mixtorum corporum compositione locum habere posset. Atque quanquam nonnullis elementa animum habere videantur, hic tamen illis aduentius est & alienus: cumque eadem viua sint, vita tamen quæ illis accidit, non à natura est insita. Alioqui nullam commutationem subire possent, quemadmodum neque corpora cœlestia viuentia: quæ à nullo alio corpore animum accipiunt, sed hic ab illis in alia influit. Si vero aduersarij amplius contendant, praeter corpora simplicia à nobis posita, alia quedam esse, hoc ut falso intelligatur, abunde satisvidetur efficere demonstrationes, quibus ad eam rem usi sumus libro de cœlo.

CAPUT XII.

Quæritur quo modo ex simplicibus corporibus mixtum oriatur, & utrum ex illis inanimatis, hoc animatum & sensus particeps possit existere.

Si quis contra id quod modo concessum videtur, elementa scilicet animum habere, contendat, in corporibus simplicibus, ut secreta sunt, animum non inesse, sed eatum demum viuere anima, tāque esse cum in mixtione certo modo temperata sunt, illud nos eo cuerti arbitramur, quod si ita esset, mixtio certa ratione facta, in mixto vita causa extiteret, atque corpora suapte natura animi expertia, corporis animati partes essent: quod quidem corporibus compositis non potest conuenire. Quare simplicia omnia animata sunt & viuunt. Ex quo consequitur nullum corpus esse mixtum quod non eadem ratione sit etiam animatum. Huius autem rei causa in eo versatur, quod ipsum Verbum animos procreans, idem quoque corpora ex materia conformauit: sicut & antea materiam ex nihilo. Verbum vero eiusmodi, in mundo hoc non agit, nisi cum ipso intellecetu agente & animo: qui materiam informans, elementa innouavit: ipsūque verbum per eundem animum secundum naturam agit. Ex quibus efficitur nullum omnino corpus esse, neque simplex neque compositum, quod non hanc ratione animi vitaque sit particeps. Amplius quoque si quis hoc adiiciat, elementa non eo modo qui dictus est, animata esse, sed propter unionem compositionemque corporum individuorum: hoc non modo falso esse dicemus, sed in iis quoque esse, quæ fieri nullo modo possunt. Quoniam omnia

nia eiusmodi corpora, individua, qualia ab A huius sententiæ autoribus sunt posita, vnius & eiusdem rationis sunt: hoc ipso scilicet, quod nullum eorum sensus particeps, est, aut patibile. Si verò talia sunt, qui fieri potest ut vniuantur, & aliud quiddam componant? Quando quidem totius ex partibus compositione, harumque uno per mutuam commutationem corporum dividuorum efficitur. Quibus omnibus illud quoque adjicimus, ex vniione corporum individuorum nullum corpus posse existere. Quoniam ex individuis B nullum dividuum constituitur.

CAPVT XIII.

Nouis rationibus colligitur animum corporis animali formam esse, non corpus: tantoque illum corpore præstantiorem, quanto forma sua materia nobilior est atque diuinior.

Hoc quoque assentimur, corpus omne, etiam quod simplex esse dicitur, ex materia & forma constare. Nec verò hoc à materia vitam habet, quoniam materia qualitas non est, idéoque reliquum ut illam à forma habere dicatur. Quod certè rationi maximè consentaneum videtur. Quandoquidem corpus per formam hoc aliquid efficitur & in certum ordinem addicitur, quod etiam rei animatæ, animus præstat. Quæcum ita sint, qualis tandem erit hæc animi essentia? Quam si quis formam esse dixerit, sapienter sane & secundum rationem pars compositi non ipsum compositum esse dicetur. Quare neque corpus erit: quod tamen nonnullis (ut superiore sermone dictum est) videbatur. Qui verò in contraria sunt opinione, si obijcant nos experiri simile non nisi simili cognosci, animum autem corpora cognoscere: ex eóq; concludant hunc corpus esse, tenue certè, & mixtionis expers, compositum tamen: nos ut intelligatur rationem hanc nullam vim habere, dicimus cognitionem omnem à quodam agente profici, & sensum quemlibet atque discipinam, passionem quandam esse. Atqui simile à simili non patitur, (nec enim albedo ab alia albedine patitur, sed à dissimili, ut à nigrore, aut à colore alterius speciei,) neque sensus re ipsa sentiendo similis efficitur ei quod sentitur: alioqui oculus tandem vivendo, candidus efficeretur. Quare sentiens atque sciens à similibus non patientur, sed à rebus ipsis perfectionem recipient. Nec erit necesse, animum quia corpora cognoscit, corpus quodam existere. Amplius etiam ei rationi propter quam nonnulli arbitrantur eum corpus esse oportere, quod ex corpori individuorum permixtione oriatur, opponimus, eum neque ex corporibus permixtis, tanquam ex partibus oriri, neque ab ipsa permixtione, ut ab agente causa existere, sed tantum simul cum permixtione ab externo opifice emanare. Eo etiam errant qui animum

corpus esse dicunt, quod eum ignobilem faciunt, qui suapte natura nobilis est: præsertim cum qualitas essentiæ forma sit; corpus autem quodammodo pro materia. Atque forma eiusmodi dignitate superat materiam, quæ accrescere potest & decrescere dissoluique & immutari. Forma autem essentiæ eadem permanet, mutationis omnis expers ab eo tempore quo in materia cœpit apparere, usque ad finem. Et illam quoque rationem, quod animus corpus sit, quia corpora cognoscat, sic in eiusdem autores conuertimus. Quoniam si is per communionem naturæ cum corporibus, corpora cognosceret, corporum tantum cognoscendorum vim haberet, aliaque omnia ignoraret. Atque multo plura corporis experientia intelligit, iamque affectum est eum aliter corpora cognoscere quam per communionem quæ cum eisdem intercedat. Amplius si animus corpus esset ex aliis corporibus compositum, quoniam alio secundum naturam agente, ille eiusmodi compositionem esset adeptus? Neque enim fieri villo modo potest, ut aliquid sui ipsius effectrix causa sit: alioqui etiam contingere vnum & idem se ipso prius esse aique posteriorius: causamque affectricem corporis, aliam à corpore esse oportet. Qualis certè prima est omnium nobilissima. Nulla verò in mundo hoc animo nobilior est. Itaque hic corporum efformator & moderator esse dicetur, non ipse corpus existet.

CAPVT XIV.

Alia questio tractatur, quæ cum superiore coniuncta est, utrum animus corporis figura sit, vel temperatio.

Cumque amplius à nonnullis dictum sit, animum corporis esse figuram, eo posito plures animos in eodem animali formari erit necesse. Quia hoc diuersis membris constat, quorum unumquodque propriam figuram adeptum est, & ab alia differentem. Si que ipsa temperatio esse dicatur, idem quoque continget. Quoniam unaquaque pars propria temperatione prædicta est, & diuersa ab ea quæ in alteram partem cadit. Quod cum falsum sit, si quis ut eiusmodi incommode occurrat, animum temperationem esse dicat, non partim singularum sed totius corporis, ad id erit consequens elangescere aut deficiente corpore, animum quoquo elangescere, vel deficere oportere, & ad errorum ignorantiamque reuerti: itemque vicissim retro commeando. Nos autem contra experimur labente vel elangescente corpore, animum superstitem manere & incolumenti: imo hunc confirmari corpore eneruato & infirmiore facto. Qua etiam ratione videm cōtingere ut sensu animi perspicaciores sint, & ad agendum paratiores: quorum tamen manifestū est, corpora imbecilliora esse facta.

CAPUT XV.

Queritur an animus de materia profluat, nouisque rationibus confirmatur illum naturae corporae non esse additum.

Ponent autem fortasse nonnulli, animum simulachrum esse quoddam de materia expressum. Hoc vero ex eo falsum intelligitur, quod materia animi essentiam informare nullo modo potest, nec ab essentia materie animi ipse originem dicere. Et profecto qui asserit de materia animi substantia profluere quam illa prius in se continuerit, is simul etiam constituit omnia corpora secundum naturam esse animata: quod a ratione corporis atque materie est alienum. Quoniam haec esse nequit, sine potestate ad recipiendam perfectionem alteram formam propriam. Quae quidem lumine est seu actus potestatis rei compositae, ab uno compositionis gradu ad alterum translatum. Rursus vero animus corpus non est. Quia hoc siue simplex sit, siue mixtum, firmum esse non potest, sed idem omne suapte natura dissolubile est in materia, ex qua omnia conponuntur, hoc ipso quod corpora sunt. Atque ut omnia corpora si animi essent experientia, interirent, in nihilum dissoluta: sic animus omnis deficeret si corpus esset tale, quale nonnulli sunt arbitrati. Adde quod hic non semper naturae corporis aut materiae obsequitur, imo eidem plerumque aduersatur & in contrarium nititur: manifestumque est, uno corpore interire, aliud procreari: forma scilicet altera ad materiam iterum conuersa. Alioqui finem aliquando esset habitura ea que in ortu rerum perpetua est vicissitudo. Animus igitur neque corpus est, neque corporis simulachrum. Atque cum antea dictum sit ipsius universi corpus esse unum animatum, si animus quoque corporeus esse dicatur, orbis ipse solo nomine animatus erit, re ipsa vero animi expers. Quoniam eo posito cum omne corpus dissolubile sit, ob idque interitu obnoxium, animus quoque si naturae sit corporeus, dissolubilis erit & mortalis. Mundus itaque ipso interitu finem aliquando est habiturus, sicut & per ortum habuit aliquando principium. Hoc autem antea sapientis est improbatum.

CAPUT XVI.

Eorum etiam opinio evertitur qui animum copore non quovis, sed subtilissimo, constare voluerunt, vel ethereum, vel igneum, vel aereum.

Enim vero quo tandem modo animus corpus esse possit, cum quicquid est eiusmodi, siue crassus, siue tenue, (ut exempli gratia, ignis, quo nullum corpus est subtilius aut promptius permeans, post ignem vero aer,) idem

A quoque sit dissolubile? Etenim ignis & aer quanquam corpora sunt fluida & rara, composta tamen sunt: ideoque minimè consentaneum est ut animus alterum horum esse dicatur. Multo vero minus corpus erit aliud imperfetum & ignobile: quale est quod crassiore substantia constat. Quoniam cum animus, corpus quodlibet dignitate antecedat, ut causa, multo magis superabit naturam eius corporis quod densum est & crassum. Amplius etiam cum in universum corpus quodlibet, siue densum sit, siue tenue, unum sit, non quidem perse, sed per animum; (quomodo enim corpus perse unum efficeretur, cum suapte natura sit dissolubile? futurumque sit ut illud statim dissoluantur nisi ab animo vniatur, in ipsaque uno contineatur,) qua tandem ratione hic unire continere poterit, si corpusculum estigneum vel aereum? Presertim cum haec, sicut antea dictum est, dissolubilia sint: nec quod suapte natura unum non est, alterum unum facere possit, aut in unione continere. Aut quo modo ignis ipse, animus esse dicetur, cum is neque animi rationem habeat, neque ullam eius proprietatem? Neque vero mundus fortuito aut casu corporeus factus est, sed vi ipsius verbi, inest spiritus intelligentiae particeps: cuius natura inter ea quae corporis experientia sunt, subtilissima est, & summo imperio praedita. Atque animus mundi intelligibilis ab illo verbo vim exceptam cum mundo hoc communicat. Vtque corpora apud nos viventia, quamdiu animo fruuntur, firma sunt & constant, illo vero excedente, eadem fratim intereunt: sic mundus corporeus, vi presentis animi, constans permanet: si vero hic ab illo separaretur, idem quoque desineret atque dissolueretur. Quod vero ante corpus quodlibet siue simplex siue mixtum, animum quendam esse oporteat, testes hi quoque sunt qui animo corpoream naturam attribuunt: in eo ab ipsa veritate coacti, quam deinde peruerentes, animum esse dixerunt spiritum quendam igneum. Sed hoc illi adiectum voluerunt quod animaduerterent facultatem nobilem, qualis est animi, igne inferiorem esse non posse: quodque simul arbitratentur eundem animum esse non posse sine alio in quo considereret. Itaque illis positis collegerunt animum spiritum esse igneum, siue flatum quendam aereum. Quoniam quod est eiusmodi, id vel omnium est subtilissimum, vel certe subtilissimo proximum. Sed auctoribus huius opinionis, erat consequens ad id quod primo loco confitebantur, dicere, corpus quidem ab eo conservari quo continetur: at illud animo contineri, non animum corpore, perque animum corpus consistere: quoniam ille corporis causa est. Causaque ipsa per se sibi est satis, nec ut sit, effectu indiget: sed contra effectus causa, ut per hanc sit atque consistat.

CAPUT

CAPVT XVII.

Quæritur num animus constet corporeæ naturæ caelesti & ætherea, quatuor elementis puriore & diuiniori: deinde nouis adhuc rationibus confirmatur eius naturam nullo modo esse corpoream.

A Lij etiam de animi natura interrogati, cùm corpus esse respondissent, neque postea tueri possent eundem alicui de notis corporibus affinem esse, & tamen quod prius posuerant, vellent defendere: dixerunt illum corpus quidem esse, sed aliud ab iis quæ nobis nota sunt. Quale est quod in agendo potentissimum est, quodque illi spiritum nominauerunt. Qui à veritate quoque aberrauerunt. Quoniam spiritus ab animo alienus est, & cùm varios spiritus ponamus, omnes tamen eos ab animo diuersos esse dicimus. Qui si forte nobis respondeant, animum spiritum quidem esse, sed cum qui in potestate sit ad animum alterum, inquiramus quænam hæc potestas sit, utrum corpus quoddam, an verò qualitas in corpore. Si prius admittitur, consequens est, secundum eas rationes quæ ante collectæ sunt, animum non posse dici spiritum qui potestate sit eiusmodi. Si verò posteriorius retineatur, quoniam qualitas omnis alteri attribuitur, nec materia esse potest, (præsertim cùm omne attributum, sit in aliquo subiecto corpore,) animus corporeæ naturæ esse non poterit. Idemque amplius noua hac ratione confirmari potest. Omne corpus qualcumque sit, siue crassum, siue tenue, calidum est aut frigidum; humidum aut siccum: rarum aut densum: album aut nigrum, vel medio aliquo colore affectum. Sique corpus calidum est, calefacit tantum: si verò frigidum, tantum refrigerat. At si fuerit leue, ea in quibus est, levia reddit: si graue graua. Itemque si album sit, dealbat: si nigrum, nigro colore inficit. Nec verò frigidi est caleficere, aut calidi, refrigerare. Atque corpus omne secundum naturam ita comparatum est, vt hoc ipso quod corpus est, vnicam actionem edat. Atqui animum experimur varias operationes exercere. Ex quo intelligimus huius essentiam à corporeæ esse diuersam. Idque certè proper rationes superiores nemo possit inficiari.

CAPVT XVIII.

Virtutes quo modo Dei, intellectui agenti & animo humano insint, aut à Deo per medium intellectum agentem in animum humanum influant.

Q uoniam animus in hoc orbe infimo multis virtutibus exornatur, mundus quoq; intelligibilis earumdem est particeps,

Tom. 4.

A reætitudinis scilicet atque iustitiae. Etenim quotiescumque volumus, virtutes eiusmodi inquirimus. Ex quo manifestum est has alteri cuidam substantiæ inesse oportere. Alioqui cur animus id expeteret quod consequi non posset: aut cur inquireret quod nunquam posset inuenire: aut desideraret id quo iam ipse frueretur. Cùm autem illas alteri inesse oporteat, certè agenti intellectui vt superiori & nobiliori insint. Quas animus ab illo suscipit cùm in eius contemplationem est intentus. At idem intellectus, auersus ab animo qui ad sensum est demissus, illarum virtutum influxum reprimit: tūmque accidit vt animus adhuc superstes, loco sit abiecto atque humili. Intellectus verò hæc eadem ornamenta perpetua habet; quia à primi opificis contemplatione nunquam recedit: nec in hac villa intermissiones habet, vt pote qui eiusdem Verbo sit proximus. Neque tantum virtutes eiusmodi semper huic insint, sed in eodem summa perfectionem sunt adeptæ. Nec quicquam eis deest cùm à primario opifice nulla alia re interiecta proficiantur. Quas intellectus agens ab illo susceptas, deinde in alijs exprimit, secundum eam rationem quæ sunt infusa. In primaria autem essentia, eadem virtutes perfectiorem speciem sunt adeptæ: quoniam illa harum est effectrix. Nec illi insint vt instrumento, sed vt earum auctori: neque verò insint vt alteri: imo neque inesse dicuntur, nisi quia ab hoc profluunt vt effectus, idque sine villa intermissione.

CAPVT XIX.

Ab animo humano ad Deum ascendimus: de quo quæritur quo modo se habeat ad motum & quietem & qua ratione omnia quæ sunt, ab eodem suis gradibus distinguantur.

A Vthor primus neque quiescit, neque defertur: quoniam superior est motu atque quiete, vt pote qui utriusque horum sit effector. Ipse autem essentia est ex qua reliquæ essentiæ & dignitates in infinitum emanant, sine delatione tamen, aut villa intermissione. Ideoque propriè omnem essentiam superat & excedit. Inest quoque his omnibus quæ sunt, secundum cuiusque speciem atque naturam. Si quidem eorum essentiam informat accommodatè ad singulorum conditionem. Nam intellectus agens, nobiliorem essentiam ab illo recipit quam animus rationis particeps: hic quoque quam celestes orbes: & hi, quam corporea quæ varijs mutationibus sunt obnoxia. quanto enim id quod procreat est, longiore intervallo ab illo erit seicutum, & per plura intermedia, tanto ignobiliorē essentiam sortietur. Enim vero primarius hic opifex, in essentia omnino immotus est, nec propriè perpetuus esse dicitur, sicut nec tempore, aut loco vel circumscriptus.

FFF

Imò ab illo sunt perpetuitas, locus & tempus, A eiusdémque beneficio permanent. Et sicut centrum circuli in se ipso est, linea: autem ab eo ductæ ad ambitum, ipséque ambitus, cum punctis, in eodem centro existunt: sic quoque naturæ omnem tam quæ ad intellectum, quam quæ ad sensum pertinent, in agente primo consistunt & confirmantur, ab eoque pendent, quod etiam appetunt & ad quod referuntur. Ad idémque nos reuocamur, sicut lineæ ab ambitu ad centrum. Si quis verò inquirat quo modo ea quæ sunt, in primo opifice permanere dicantur, cùm forma in materia permaneat, itémque contra materia in sua formia, & affectio in subiecta substantia: dicemus aliquid in altero duobus modis permanere. Vno quidem qui pertinet ad ea quæ nunc proposita sunt, vt ad formam in materia, affectionem in subiecto, & subiectum in forma naturali. Altero verò vt in agente, verbi gratia, lux in lucente, & radius in co à quo emanat: & denique quodlibet essentia simplex, in efficiente. Quare intellectus agens in primo opifice permanet, & in eodem animus rationis particeps per medium intellectum. Humani autem animi pars ea in qua est sentiendi principium, prima in corpore permanet: deinde in intellectu agente per medium cum intellectum qui potestatis est. Animus quoq; rationis particeps ius suum habet in animum agentem, sicut & in alias naturas.

CAPUT XX.

Causa reditum propter quam animo nostro difficilis diuinorum & incorpororum cognitio: nempe quod sensibus corporis nimirum addicetus sit.

Si quis autem inquirat qualis futura sit postrema naturæ humanæ conditio, cum nos, sicut modò dictum est, ab animo, id quod sumus, habeamus, eius opificis beneficio in quo essentia est omnium prima: neque verò ab eodem primo opifice intellectuque agente, & ab altero qui potestatis est, animo auctor sua virtus insit & dignitas, atque inter homines permulti existant, qui quia virtutibus carent, easdem ignorant, auditaque negant, vanas eas & commentitias arbitrantes: Evidem hæc nostræ excellentiæ rerumque aliarum ignorantia ex eo proficiuntur, quod ad discendum solo sensu impellimur. Itaque res quæ propositæ sunt ad consequendam scientiam, explorantes, dicere solemus hanc nos experiri, illam verò minimè. Neque cogitationem abstrahimus, sed ex ea disciplinam haurientes, quia nos omnia expertos esse arbitramur, id quodquæ dicere solemus nihil esse, quod sub sensum non cadit. Quare eisdem coacti, intellectum non ponimus neque agentem, neque eum qui potestatis est, neque opificem primum, neque alias eiusmo-

di essentias: Et si de rebus talibus in homine partis fit habitus persuasionis alicuius, eum scientiam esse arbitratur: falso quidem, sed quia illa superiora cum sensu coniungit, sibi que affirmat, animum, intellectum agentem primūque opificem corpora natura constare. Virtutes igitur ab animo conseruantur, hic ab intellectu agente, sicut & intellectus ipse ab essentia primaria, rerum omnium causa effectrice. Neque propter animus corpus est: sed causa corporis: sicut neque intellectus agens, neque ea essentia quæ inter omnes obtinet principatum. Et iam quidem veteres ipsi consentaneis rationibus atque accommodatis probarunt neque animum, neque huius virtutes corpoream naturam habere: quoniam sub sensum non cadunt. Quomodo enim hec in corporibus haberentur, cùm ad sensum declinantes, neque animum, neque huius virtutes percipiamus? Nos quidem certè nonnquam à sensu reuocati, & ad animum conuersi, quædam cognoscimus quæ nunquam sensu percepimus, verbi gratia, quorundam amicitiam, vel inimicitiam: sed etiam si omnino in sensum incumbamus, nunquam tamen eum animum huiusve virtutes comprehendemus: sed tum demum cùm sensus ipse iudicium omne ad animum retulerit, & animus ad intellectum agentem. Neque verò villolio modo, sensu animum percipere possumus, quamvis illius aciem in hunc primum dirigamus. Quandoquidem animi facultas non sentit nisi iudicium à sensu primo per medium animum, ad intellectum agentem relatum sit, vicissimque ab hoc ad animum, & ab animo ad sensum qui hoc pro sua facultate recipit. Defert enim intellectus agens iudicium ad annum: nisi forte hoc ad eam rem pertineat quæ suo splendore atque dignitate ipsum animum supereret. Ipséque animus idem sensu praefat, nisi res obiecta vim sensus excedat. Quoniam sensus per animum nihil cognoscit, nisi illud ab intellectu agente prædicatum sit, qui animo est superior.

CAPUT XXI.

Ostendit quo modo animus humanus præparandus sit ad supremum contemplationis gradum, qui pertinet ad eas formas, quæ quia a corpore omnino separatae sunt, nulla ex parte in sensum cadunt.

E Vicumque verò contemplari vult animum & intellectum agentem, essentiamq; primum, utriusque effectricem, sic vt & reliquorum omnium eorum quæ sunt, is sensus componat, & ad naturam suam reuersus, in se habitet & firmissime consitiat: sicq; ea percipiet quæ sensus non potest attingere. Ut qui suauem vocem perceptur' est, in hanc intentus, ab omnibus aliis sonis auditum auctor, in illaque constantior, perfectius candem

sentit: similiterque reliqui sensus in una & obiecta occupati, sine errore hanc comprehendunt. Quare cum qui animum sentire vult, intellectum & essentiam primam, sic necesse est secluso auditu externo, interiorem adhibere, qui ad intellectum pertinet. Quod cum ille faciet, summum concentum percipiet, purum, illustrem & admirandum: in eoque inexplicabili voluptate perficitur. Imò hæc in dies magis ac magis ac crescat, idemque in hac agnoscat, concentum qui in sensum cadit & cum corporibus est coniunctus, illius superioris solam esse imaginem. Quomodo homo contemplatus superiores essentias nobiles & illius harmoniae participes pro sua facultate, simul etiam discet supremum opificem omnia alia procreasse, quæ conformata sunt per imitationes eorum quæ hic in se habet omni ex parte absoluta, quæque postea primo intellectui inferuit, tanquam medio inter hunc ipsum & res procreat. Eidemque dedit intelligentiae communionem insignem ac perfectam, atque puram quidem, sed tamen figuratam & aliunde expressam. Atque amplius imitationes alias in animo contemplabitur, ut formas ad intelligentiam pertinentes, & mulasque illarum communium quæ cum intellectu agente sunt procreatæ. Quæ quidem ratione postquam homo animi essentiam cognovit, abstrahendo longius progressus, ascendit ad formam primi opificis, expertem omnis qualitatis sensum mouentis, terminataque & illi vniuersæ insita. Quæ una ex iis est quibus animus exornatur, eadēque radix formarum omnium abstractarum, ad spiritus tamen & corpora pertinentium. Itaque animus, sicut diximus, semper expedit ut intellectus agens infundat ea vniuersa quæ habet insita: hæc verò ab illo accepta, idem animus in naturam immittit: sicque efficitur materiata forma mundi cœlestis. Atque hæc rursus causa est formarum singularium cum materia coniunctarum, mundique eius qui ortus & interitus est particeps. Quæ quidem minus illustres sunt & pulchræ: quoniam variè afficiuntur, commutanturque vi materiali quæ in eisdem dominatur. Cœlestes verò effectrices, sunt clariores & nobiliores. Si quidem non dissoluuntur omninoque sunt immutabiles: quia materie omnino imperant, eamque subiectam sibi firmissimam habent. Supra has essentias sunt quæ formas suscipiunt purissimas, clarissimas atque pulcherrimas, & quæ omnes alias in se continent. Illæque admirandæ quidem sunt & summæ, sed non possunt oratione exprimi, neque animo nostro per eam facultatem quæ cum imaginatione est coniuncta, comprehendendi. Sunt enim causæ istarum formarum euidentium & in cogitationem cadentium, quæ apud nos existunt. Res autem unaquæq; in sua causa nobiliores sunt quān-

A in effectu. Eadēque ratione formæ in animo clariores sunt & nobiliores quam in corporibus cœlestibus: quoniam à sua materia repurgatæ sunt, & illarum causæ existunt. Rursusque formæ in intellectu agente communiiores atque insitæ, præstantiores sunt quam in animo, aut quam in inferiore mundo: duabūsque de causis à nobis neque intelligentia, neque cogitatione possunt comprehendendi. Quare animus noster, sicut antea dictum est, semper hoc appetit ut illæ ab intellectu agente influant, propter excellentiam essentiæ in eo apparentem, quod procreatus est ut expressa prima imago, præditaque vi in ipsum animum influente. Eodem iure animus supra naturam est: quia ab intellectu agente virtutem influentem primam perpetuamque recipit, ac in cœlestem mundum transmittit: quam deinde ad nos in hunc orbem ortui interitique obnoxium Planetæ deferunt, suorum motuum varietate & intervallorum dissimilitudine, atque quodam cum nostris corporibus suorum radiorum contatu. Horum enim lineæ, in terra quæ nobis ad habitationem est accommodata, diuersæ sunt, simul cum formis propriis, nobilibus & imprimendis imaginibus admirandis. In quibus tanquam in fundamento communis virtutis refulgentis, consentiunt. Errantes verò stellæ à se inuicem & ab aliis differunt, in ea conditione in qua aliæ terrenæ formæ non reperiuntur.

CAPVT XXII.

Formas harum rerum inferiorum quæ Luna & cœlo continentur, inesse docet & cœlesti regioni & mundo intelligibili, sed huic mundo meliore atque diuiniorae.

Sicut formæ terrenæ sunt in orbe cœlesti, sic & in supremo, vel etiam amplius, secundum rationem nobiliorem, pulchriorem & illustriorem, neque in hoc nullo modo commutabiles. Quoniam neque crassæ sunt neque turbulentæ, sed summæ puritatis, dignitatis ac luminis participes. Quanquam verò in eo verè proprieque existant, nemo tamen secundum perfectionem quam adeptæ sunt, eas intelligentia vel cogitatione complecti potest, nisi prout prius fuerint aliunde detectæ. Neque enim in vita hac propter materiam in nobis dominantem, ad eorum essentiam excitamus. Idque ex eo accidit quod animus rationis particeps cum sentiente coniunctus est, sicut & hic cum alente, alens verò cum corpore commutabili, minimis qualitatibus abundante, eisdemque impuris & turbulentis. At cum animus noster iis impedimentis repurgatus fuerit atque solutus, tum aptè ascendet ad conditionem formarum illustrium: coniungiturque cum animo & intellectu communi, qui prius in mundo

FFF ij

hoc, ea continente quæ oriuntur & intereunt, A singula suscipiebat, quædam tamen magis, alia verò minus: quanquam ipsa communione minimè omnino reiecta. Quoniam hæc secundum essentiam animo humano, qui rationis est particeps, inest: per quam puer discernit honestum ab in honesto, noxiūmque ab innoxio, quotiescumque de iis ratiocinatur. Sensu verò distinguit beneficium à malefico. Ex quibus iam apparet quod diximus, supremum opificem mundum illum procreasse ut exemplar summe suæ sapientiæ, administrationi & arti accommodum: eidēmque formas imposuisse nobiliores his quæ cum sensu coniunctæ, illarum simulachra sunt & nobis quædam signa. Exornauit verò nos intellectu, in quo potestas est ad illas supremas formas: atque ubi animaduertit intellectum hunc formam esse animi sentientis, ut aspectum oculi, idem nobis dedit mixtum cor-

B pus inter cætera delectum, in quo animum collocauit ad constituendam vnam substantiam, in qua vis esset discernendi tam ea quæ sensus sunt, quam quæ intelligentiæ: Bonum item à malo, per arbitrij libertatem & experientiam ac utriusque explorationem. Nisi enim eiusmodi corpore homo esset prædictus, aut nisi in eodem animus rationis particeps cum sentiente esset coniunctus, sine errore bonum à malo non discerneret: sed ea ut auditæ referret, non ut explorata. Quare animus noster ut corpori addictus, sensibusque quibus seruire cogitur, ea quæ sunt in utroque mundo cognoscit, & eo ipso perfectus præcessit rebus omnibus quæ mundo hoc continentur. A quo digressus, in superiori veritatem contemplabitur, immortalisque existet, beatus, & ipsius orbis dominus. Quæ conditio animis humanis fœlicitas magna est & obsoluta.

DE SECRETIORE PARTE DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECUNDUM Ægyptios, Aristotelis Lib. XIII.

CAPVT PRIMVM.

Primum Ens cum unicum sit & semper unus modi, nunc queritur unde existerit eorum quæ sunt, varietas.

Ens vnum & perfectum, aliorum omnium quæ procreata sunt, causa existit: neque ullo horum includitur: neque cuiusquam est omnino simile. Causa tamen est eorum omnium quæ procreata sunt: quoniam ab eodem omnia ducunt originem. Ex eoque rerum essentiæ in illo confirmantur, atque ad idem redeunt. Cuius essentia quoque est absoluta: quia causa est causarum omnium, & inter ea quæ procreata sunt, obtinet principatum. Si quis verò miretur quo modo ab hoc uno simplici varietatisque & multitudinis experie, rerum procreatrum varietas & multitudine potuerit existere, dicimus id eo contingere quod ens eiusmodi vnum & absolutum, res alias procreatæ verè continet. Quoniam ipsum ab opifice procreatum est nulla alia re antecedente. Quare & illi proximum est, primariumque opificem intuetur: atque idcirco actionem habet eidem proximam. Itaque ab hoc uno absoluto omnes res aliæ procreatæ emanantur: quoniam hæc non habent pari ratione essentiam absolutam. Quæ omnia rursus in pauca contrahentes, dicamus, eorum quæ oriuntur, multitudinem ab illo non existere: nisi hoc ipso quod omnia cognoscit, ut suæ

C contemplationi proposita. Quare & ab illo emanarunt, ut prius in eodem lata. Opifexigitur, primarium ens, idem cum Verbo, sibi proximam mētem siue intellectum agentem procreauit. Ab ipsa verò mente profluxerunt res omnes aliæ, tum in superiori mundo, tum in inferiore procreatæ.

CAPVT II.

Intellectus agentis comparatio explicatur cum primo opifice: ut intelligatur quo modo hic ille superior sit, & tamen quodam modo eidem aequalis.

Ens vnum & absolutum, perfectum existit atque purum: mundus autem qui infensum cadit, imperfectus & impurus, ut pote qui ab illo originem duxit. Intellectus autem agens (qui idem est ipsum ens vnum & absolutum) perfectus ac purus est. Quoniam ens vnum procreatum est ab ipso ente uno atque vero: quale est quod perfectione supremum. Quandoquidem hoc alio non indiget: cum ab hoc nihil omnino possit consequi. Imò quia ipsum perfectissimum est, sibique omnino tatis, ac propter facultatem maiestatemque unitatis, ab illo aliud de integrō est procreatum. Quanquam autem eiusmodi ens, summam perfectionem adeptum (quia scilicet primarium est) perfectum aliud procreaverit, nempe intellectum agentem; fieri tamen nullo modo potest, ut quod ab illo procreatum, secundum est, illi primario sit omnino æquale. Quoniam quod procreatum est, semper ab opifice in aliquo deficit, neq; cum illo in eodem perfectionis gradu potest con-

sisteret. In suo tamen ipsum quoque perfec-
tum est, & aliud quod subsequitur, perficit.
Quia Ens, vnum verum quod summè perfec-
tum est, in hoc procreando se ipsum intue-
batur, contemplationi propositam habens
propriam essentiam, veram splendoréque a-
bundantem. Intellectus autem agens procre-
ando intuetur primi opificis verbum prox-
imum: sicut anima cōmuni omnium forma-
rum mater atque formatrix, intellectum a-
gentem: & natura formarum singularum in
materia effectrix, ipsam animam commu-
nem. Ens enim vnum idemque verum, pro-
creauit primò intellectum agentem, essentia
scilicet ipsi verbo proximam. Hicque intel-
lectus ab illo agente primario, primò recipit:
nec inter hunc & primarium opificem me-
dium ullum est interiectum. Neque intellectus
agens postea quicquam procreat, quin
priùs opificem suum intueatur. A quo defini-
tam naturam capit, vniuersque efficitur vnitate
ea quæ quanquam partibilis sit (quoniam ab-
strahi potest) non tamen in numerum cadit:
sed quæ minimè satis firma sit. Quia intellectus
agens multitudinem rerum contemplatur, e-
ciam earum quæ in sensum cadunt. Quales
quoquæ animus intuetur, cuius vnitas nondū
est absoluta: si quidem plura per abstractio-
nem considerat. Ens autem quod verè vnum
est, vniuersitatem causa est. At quod numero
vnum est, ut tertario impari vel binario pari,
idem quoque est compositum. Quare ens v-
num absolutum, animo superius esse dixim⁹,
& Dei opus eidem proximum. Atque eadem
ratione intellectus huius contemplatio, eius-
dem voluntas est atque essentia: ac propter
affinitatem quam cum Deo obtinet, confor-
mare aliud potest, atque imperfectius. Ac
propter istiusmodi conditionis inæqualita-
tem, multitudinem habet consequentem:
cuius principium est in essentia entis vnius
absoluti, & sicut dictum est, primo opifici
proximi.

CAPUT III.

*Ab eodem ente uno & perfecto, de quo duobus
capitibus superioribus dictum est, repetitur o-
rigo eorum quæ sunt in vnoque mundo: sed non
eodem modo.*

EN vnum atque perfectum, omnia efficit
quæ in mundo superiore ad intellectum,
& in inferiore ad sensum pertinent, propter
virtutem assidue influentem, quam in se reci-
pit. Hæc verò aliunde immissa perfectio, in-
finita est: quoniam nihil habet sibi aduersum,
sed ab intellectu agente subinde transmissa
in effectum proximum, nequaquam assequi-
tur sacram illam lucem & diuinam bonita-
tem infinitam. Quare effectus eiusmodi vim
illam influenti recipiens, proximus non

A est verbo eius opificis, à quo talis virtus in-
fluit. Ideoque intellectus agens vim finitam
transmittit, per quam tamen adhuc potest
consequi ut proprius effectus sit æternitatis
particeps. Quoniam opus quod illi intellectui
est proximum, idem quoque omnino interi-
tus est expers, essentiamque habet constan-
tem: ex qua mundi vtriusque constantia &
robust proficiscitur. Sic enim communis ani-
mus perpetuitatem conseruat, quam ipse ex-
petit, vi scilicet virtutis eius quæ ab intellectu
agente immissa est, eadēque potens & effi-
cax: quia ille Deo est proximus. Nec verò ei-
dem animi appetitio deest per quam ad Deū
excitatur. Quoniam ad hunc ab intellectu a-
gente deducitur, per virtutem influentem,
qua illustratur atque instruitur, sed tamē fini-
tam, ne obstupescat ac perturbetur, proster-
natürve eam recipiendo. Intellectus verò ad
propriam appetitionem excitatus est ab opifi-
ce primo, in cuius meditatione ambo defixi,
mundi vtriusque efficiuntur immemores.
Verum enim vero quod ab illo intellectu in-
fluit ad excitandam & consequendam diui-
nam appetitionem, de procreatis rebus ei
communicari non potest qui ex essentia proprie-
tate, cogitationis discursu & motu agitur.
Quoniam in hoc ad caliginem densasque te-
nebras materia suapte natura inclinans, ani-
mi essentiam quodam modo suo imperio co-
ercet. Id autem quod influit, sua vi ad motum
excitat, ex vna conditione ad aliam transfe-
rendo. Eoque efficit ut per hunc cogitationis
motus in materia minimè sentiatur: sic ut nec
seminis in radice mentulae.

CAPUT IV.

*Sensibilis mundi perpetuitas, quo modo à celo sit, &
Vnde in rebus his inferioribus ortus & interi-
tus vicissitudo existat.*

Rerum species subiectis constitutæ, & in
ordinem adductæ, suis gradibus secun-
dum formas distinguuntur. Quoniam formæ
substantiam continent, secundum quietem
cogitabilem, per quam motus desinunt & fi-
guræ situm suum seruant: præsertim cum sine
ea motus futurus sit cogitabilis, qui formas in-
ter se commiscebit. Ex quo rerum interitus
atque ignoratio consequetur. Quoniam igi-
tur motus eiusmodi cogitabilis, in cælestibus
orbib⁹ locum non habuit, cogitabiles formæ
illis euidenter accommodatae sunt, eadēque
procreatæ, in illis constanter permane-
runt. Atque orbium motus perpetuatus est,
quia cœlestes substantiae semper eundem mo-
tum, omnis mutationis expertæ, nec vñquam
desinentem, retinentes, regendo perficerunt
ut impressiones peractæ adhuc seruentur per
virtutes ab illis transfusas: utque formæ ipsæ
permaneant. Si quidem illæ ad compositas
substantias vniuersorum rationem obtinent.

Earundem autem motus si varientur, impressiones vniuntur. Ex quo perire necesse est ea quæ mixta sunt: quia hæc earum virtute orta sunt. Sicque rerum generationem deficere oportebit. At quia rerū commutationes perseverant, frequenter quoque ortus & interitus sibi inuicem succedunt, & communis illa operatione parique appetitione orta, diuinis coloribus exornantur. Ea enim quæ caduca sunt, partes eas continent quibus variæ commutationes naturales dominantur. Quæ causæ sunt ortus atque interitus, in quibus natura superiori mundum imitatur, atque animus ad illum quasi in orbem reuertitur: ut opificem suum attingens, vim eam excipiat quæ à verbo procreante influit.

CAPUT V.

Quomodo unumquodque corpus boni sit particeps, & sub eadem specie quæ varietas rerum singularum: quæ tandem omnes ad unum referuntur.

Nullum corporis genus est, immo neque species, sed ne singulum quidem nullum, quod diuini boni non sit quodam modo particeps. Quia neque sine illo nulla est rerum constantia. Præfertim cum princeps intellectus cuiusque rei conuenientem essentiam conseruet, neque, vel ad temporis punctum, eius sit immemor: idque perficiat sine alterius auxilio, cum ipse caularum omnium sit principium. Neque vero unitas quæ ad res numerabiles pertinet, illius causa est: neque ipse vello modo in numerum cadit. Quoniam eius essentia nullam diuisionem recipit, quæ cadit in omnia singula. Hæc vero duorum sunt generum. Quædam enim reperiuntur in quibus sub una specie unicum est singulum, ut verbi gratia, Sol, Luna, Terra, Aqua, Aer, Ignis. In quibus singulum unicum est essentia, specie & loco: adeo ut vere dici possit omnem terram esse unicam, atque de ceteris eodem modo. Alia sunt quæ sub una specie numero distinguuntur, ut pluviae, coruscationes, quæque sunt istiusmodi, utque stellæ aliaeque ab errantibus sunt distinctæ, & singula omnium mixtorum, quæ orta sunt, ut eorum quæ eliciuntur è terra, plantarum & animalium. Itemque numerus cuius species sunt compositæ, ut binarius, ternarius, quadrinarius, senarius. Ea enim quæ sunt in numerum, augmentur atque diuiduntur quamdiu naturalia percurrimus, priusquam diuinorum finem attingamus. Atque illa semper in numerum excrescere deprehendes, donec ad intellectum peruerteris qui in formatum procreatione omnino, unus est. Et tamen unus est unitate adhuc diuidua, quæque plura in se continet, eademque habet sibi insita. Etenim hic duplex efficitur, cum ab opifice, cui succedit, contrahitur, & per negationem, ab

A eiusdem suprema unitate separatur. Si quidem ubi ad primum opificem ascenderis, illum perfectissimè & maximè absolutè unum esse deprehendes: ut pote qui omnem numerum omnino excedit. Nec enim ipsa imaginatione diuiditur, sicut id quod procreatum est: neque pro habitu formarum exemplarium in numerum excrescit. Sed unum quiddam est ab omni numero naturali atque diuino separatum. Cuius unitas non comprehenditur nisi per abstractionem à signo & imagine propria, in qua eiusdem opus expressum est,

B ut ab agente perfecto. Qui vero arbitratur primum opificem unum esse, quia neque duo est, neque tria, neque quicquam alio numero comprehensum, is à veritate aberrat. Quoniam, si quis considereret quod hac opinione significatur, primus opifex hoc modo se ipse numeraret, neque ab alio numeraretur. Quo posito, reliquos etiam numeros consequentes numeraret. Falsum vero est, opificem summum seipsum numerare, aut aliud quipiam. Quandoquidem si se ipse numeraret, unus esset ea unitate quæ ad numerum pertinet. Sique alia numeraret, pars esset numeri

C dupli, aut tripli. Quare vel pars eius dimidia vel tertia. Summis igitur opifex unus est, ea unitate quæ maximè abstracta est: atque ex eō tantum unus esse intelligitur, quod nulla numeri specie comprehendatur, nec quicquam huius essentiae adiungatur: atque ab omni multitudine ad numerum pertinente, abstractus sit, quocumque modo ea in res precreatæ cadat.

CAPUT VI.

Ordinem omnium eorum quæ sunt, ita explicat primam originem à Deo repetat, desinat informas naturales quæ omnino in materiam sunt demersæ.

Primarius opifex unus, ens unum procreauit: idemque voluit sua vi conseruare substantias omnes quæ apud nos formis carrent. In quo causa est posita propter quam nos harum essentias minimè possumus comprehendere. Deinde vero per eundem adcreauit formas primas, quæ sine materia rerum essentias continent; etiam si has sine materia nostra cogitatio non statim complectatur. Amplius quoque procreauit eas substantias quæ naturæ legibus sunt informatæ, usq; ad eam quæ inter illas quæ oriuntur, est postrema. Itaque intellectus ab opifice primus, omnium eorum quæ procreata sunt, principium existit: idemque in omnibus conseruat omnia. Communisque animus, omnis formatæ diuinæ atque corporeæ principium est, cum ipse forma sit à materia separata, satisque potens ad omnia contemplanda, propter eam vim quam à superioribus influentem recepit. Cuius opus (quod quidem natura est,) E

in naturali materia conformatum appetet. Postremo loco existunt ea quæ arte constant, similiaque sunt naturalibus, hoc ipso quod ex illis efformata. Si quidem artifex qui vult aliquid efficere, materia indiget quæ iam sua forma sit prædicta, ex qua id quod molitur, absoluat. Quo modo enim artis figuram imprimere posset materia, formæ experti? aut formæ, materia carenti? Hoc enim in ijs est quæ fieri nullo modo possunt. Ut, verbi gratia, fìgulus efformatus ollam, aut aliud fìstile vas quodlibet præmeditatus, terram miscet: hancque ad opus accommodans, ollam finit pro sua facultate, deinde eandem coquit, ut duriorem reddat. In quo minimè dubium est quin lutum, ollæ materia sit. Sic autem in alijs aëris & ignis. Ars igitur ad hunc modum se habet. Animus verò communis potestatem adeptus est procreandæ formæ in materia simplici ac inforini, secundum naturam: nec ille aliter formarum principium est quam in eiusmodi materia simplici procreata. Consimili verò ratione intellectus agens, cum opus sit opifici primario proximum, hunc contemplans, perfectam potestatem habet nouandi communem animum. Quoniam nobilis sua essentia, quæ diuinæ est imitatrix, animum rationis participem excitat, qui tamen à Deo habet originem. Nec enim fieri potest ut intellectus contemplando aliquid innoveret quod simile non sit formæ optimæ opificis eius quem intuetur, cuicunque ipse est proximus. Per quam contemplationem, unius de iis quæ procreata sunt, essentia, insita specie denudatur. Quandoquidem primus opifex intellectum agentem constituit ut omnium quæ procreata sunt, principium: eorumdémique seruatorem: quem ipse quoque à communione formarum variarum abstraxit. Atq; idem communem animum formauit qui futurus esset causa formarum omnium diuinorum ac corporearum. Quem etiam ab unione materiæ separauit, ut similis euaderet ei qui inter res procreatæ obtinet principatum. Eadem tamen inseruit perpetuam appetitionem informandæ materiæ, quæ olim erat informis: ut hæc ab illo influenter vim perpetuo reciperet. Deinde procreauit cælum & terram, generaque omnia & species, atque adeo singula, prout hæc materia constant informata formaque materiata. Quæ omnia inter formam atque materiam interiecta sunt, eadémque, sicut antea probatum est, compositorum sunt principia, non ipsa composita.

CAPUT VII.

Animi humani comparatio explicatur cum intellectu agente, ad quem semper erigendus est, & cum iis inferioribus, ad quæ nonnunquam idem suo virtio descendit.

Tom. 4.

Primarius opifex, ens verè unum est, unitate ea quam antea exposuimus. Sequitur verò intellectus agens, quia cum verbo ipsius opificis nullo alio medio interiecto coheret. Quoniam absolute essentia unus est, & ab essentia una secundum eam unitatem quæ omnium est perfectissima, quæque ad essentiam suam perfectissimam veramque conuersa, formauit intellectum agentem, huncque informando ut primum inter ea quæ procreata sunt, propriam unitatem suam est contemplatus. Quare & intellectus perfectus est, & inter ea quæ procreata sunt, obtinet principatum. In quem etiam amplius ab eo quod verè unum est, virtutes plurimæ & maximæ influunt, à quibus ille vim habet conseruandi cetera substantias procreatæ. Quia ut ab eo quod verè unum est, originem habet, sic ab eodem essentiam immotam accepit. Ipse verò animum quoque immotum procreauit. Qui cum ab eo intellectu cuius est aliqua origo, habuerit initium, ipse nullum opus edere potuit sibi cęquale atque immotum: sed mobile, in quo huius simulachrum existit, ideoque commutabile atque infirmum. Quoniam motus in rem cęternam non cadit: alioqui opus ipsa oratione esset præstantius: quod fieri nullo modo potest. Animus autem cum opus aliquod parat, principium suum intuetur à quo robur & lumen recipit, recipiendoque sursum attollitur. Cum verò quædam simulachra tantum & imagines instituit, deorsum mouetur, ad eascilibet quę in sensum cadunt, quæque natura constant: ut ad clementia, plantas & animalia. Inter quas substantias, quæ modò sunt enumeratae, nulla posterior sine priore existit. Si quidem ab ea pendet: quemadmodum & generabilia omnia ab animo humano. Hic enim in omnes substantias inferiores effunditur, ut in plantas: in quibus illius opus quoddam existit. Ut poterit ad quas descendit appetitionis suę impetu, figuras eisdem impressurus, progressur usque usque ad singula, & ad ea quæ ignobilia sunt. Animus igitur prout intellectus agentis imago quædam est, ab illo non auertitur. Alioqui si hoc contingat, descendet ab illo bono principe procreato: nec descendendi finem faciet, donec infimum quiddam attigerit. Quod cum acciderit, tum hic ab eodē relinquetur. Ac quanquam in hoc descensu ea adhuc operetur, quæ quadā ex parte bona, sunt tamen hec ignobilia, si comparentur cum supernis essentiis quæ mundo intelligibili continentur. Hæc verò animus operatur, dum obsequitur voluptatibus pertinentibꝫ ad eam appetitionem quæ cum sensu est coniuncta. In qua insunt quę singula sunt bona, ut poterint quæ eidem cognata. Quoniam simile simili oblectatur. Ista autem infima minutāq; ignobilia sunt, si cum maioribus & superioribus,

FFF iiiij

quæ ad intellectum pertinent, conferantur. A qua nunquam postea recedit. Quemadmodum & cum interit quidam animus sentiens in bellua, hic quoque ad eundem mundum ascensit. Quandoquidem intellectus ad animos recipiendos comparatus est, à quo hi postea nunquam discedunt. Alioqui animus nusquam esset. Quod si concedatur, is neque sursum erit, neque deorsum, sed ubilibet sine villa divisione. Neque verò diffunditur ut id

CAPUT VIII.

Rerum animatarum gradus pro varietate facultatum animi distinguuntur, similiusque queritur que cuiusque animi conditio futura sit post animatae rei dissolutionem & interitum.

ANIMUS QUANQUAM CAUSA SIT NATURALIUM, RERUMQUE IN SENSUM CADENTIUM, QUAS IPSE SIBI COGNATAS HABET, ILLAS TAMEN PROPRIIS GRADIBUS SECUNDUM CUIUSQUE RECTAM RATIONEM ITA DISTINXIT, UT CARUM VNAM A SUO GRADU AD ALIENUM TRANSFERRE NON POSSIT. AC LICET NATURALIA OMNIA BONA SINT & IN ORDINEM ADDUcta, INFERIORA TAMEN SUNT SUPERIORIBUS NOBILISQUE SUBSTANTIIS AD INTELLIGENTIAM PERTINENTIBUS. IN QUIBUS FIERI NON POTEST UT QUICQUAM DEFICIAT, PRÆSERTIM CUM HÆ RECTÆ SEMPER SINT: UT POTE QUÆ A PRINCIPĒ OPIFICE PROFLUANT. IN IIS AUTEM QUÆ SUNT INFERIORIS ORDINIS, MULTA DEFICIUNT. QUONIAM PROCREATA SUNT AB OPERE INTELLECTUS AGENTIS, NEMPE AB IPSO ANIMO. CUIUS PARS ALTRIX, QUÆ AD PLANTAS PERTINET, IGNOBILIOR EST & MAIORE IGNORATIONE IMPEDITA. QUARE & EA DESCENDIT DONEC CUM CORPORE INFIMO ATQUE VILI CONIUNGATUR. PARS VERÒ QUÆ IN BELLUAM CADIT, ALTRICE NOBILIOR EST: QUONIAM SENSUS EST PARTICIPS. SUPERIOR ETIAM SENTIENTE, EA QUÆ INEST HOMINI, IMBÒ HÆC PRÆSTANTISSIMA, UT POTE QUÆ COGITANDI VI ATQUE INTELLIGENDI EST PRÆDITA. VIS QUOQUE SENTIENDI CUM INTELLIGENTIA AFFINITATEM HABET: SICUT & EA QUÆ PROGREendi. QUONIAM VTRAQUE INTELLECTU QUODAMmodo DIRIGITUR. PORRO EIUS ANIMI QUI PLANTIS INEST, VIS MAXIMA IN RADICIBUS CONSISTIT. SICUT EX EO POTEST INTELLIGI QUOD AMPUTATIS SUMMIS RAMULIS, VEL ETIAM INSIGNIORE RAMO, ARBOR NONDUM EXARESCIT. Eadem VERÒ EXCISIS RADICIBUS, OMNINO EMORITUR. SI QVIS AUTEM INQUIRAT AN ANIMÆ PLANTÆ EXCISIS RADICIBUS, SEPARATUS INTEREAT, DICENDUM EST HUNC REDIRE AD PROPRIAM REGIONEM QUAM HABET IN MUNDO INTELLIGIBILI: A

B CONSISTIT IN FINIBUS MUNDI VTRIUSQUE, UT SUBSTANTIA QUODAMmodo MEDIA INTER EAS QUÆ AD SENSUM & QUÆ AD INTELLECTUM PERTINENT. AC SI ITA VISM SIT, FACILIUS DESCENDET AB ILLO SUPERIORE ORBE IN HUNC INFERIOREM, QUAM AB HOC AD ILLUM POSSIT ASCENDERE. INTELLECTUS AUTEM AGENS & ANIMUS CETERÆQUE SUBSTANTIÆ INTELLIGENDI PRÆDITÆ, PERPETUÆ SUNT, IDEOQUE NON INTEREUNT: QUOD ORTÆ SINT A PRIMARIO OPIFICE, NULLA CAUSARUM MEDIANARUM MULTITUDINE INTERIESTA. NATURALIA AUTEM & EA QUÆ IN SENSUM CADUNT, COMMUTANTUR ATQUE INTEREUNT, QUIA ORIGINEM HABENT A PLURIBUS CAUSIS & EFFECTIS INTERIECTIS, NEMPE AB INTELLECTU & ANIMO. QUAMQUAM DE IJS NATURALIBUS QUÆdam LONGIORIS VITÆ SUNT, ALIA BREVIORIS: IDQUE PROVIT MAIORE MINORÆVE INTERVALLO A PRIMARIO OPIFICE SUNT SCIUNcta: VELVT AB EODEM PLURIBUS PAUCIORIBVS VE CAUSIS INTERIECTIS, SUNT SEPARATA. SI QUIDÆ QUOD PAUCIORA HABET MEDIA, LONGIORIS VITÆ EST: QUOD VERÒ PLURA, BREVIORIS. HOC ETIAM SCITU DIGNUM EST, NATURALIA OMNIA QUENDAM ORDINEM INTER SE HABERE, IN QUOZ ALIA EX ALIIS PENDENT. IN HOC VERÒ QUOD POSTERIUS EST, CUM INTERIT, AD ID QUOD INTER PRIORA EST PROXIMUM, REUERTITUR, DONEC AD CÆLESTES ORBES REFERATUR; DEINDE AD ANIMUM COMMUNEM, POSTEA AD INTELLECTUM AGENTEM, IN QUO RES ALIAZ OMNES PROCREATAZ EXISTUNT. IPSE VERÒ IN PRIMARIO OPIFICE: QUI NON ALIUS EST A VERBO PROCREANTE: AD QUOD, SICVT SAPIUS DICTUM EST, OMNIA REUERTUNTUR. QUONIAM AB ILLO ORTA SUNT, & IN EODEM CONSISTUNT.

DE SECRETIORE PARTE DIVINÆ SAPIENTIÆ, SECUNDVM Ægyptios, Aristotelis Lib. XIV.

CAPUT PRIMUM.

Intellectus agens & animus communis, comparantur cum primo opifice, in procreationis modo: atque item inter se, in eo lumine quod animus ab intellectu recipit.



M N I A ALIA QUÆ PROCREATA SUNT, SICVT ANTEA DICTUM EST, IN PRIMO IN-

ETELLECTU CONSISTUNT. QUEM PRIMARIUS OPIFEX ILLORUM PRINCIPIUM INSTITUIT & IN SUBSTANTIIS FORMA DIFFERENTIBUS, GIGNENDIS, SIBI VICARIUM ESSE VOLUIT. IDÉMQUE OPIFEX PRIMUS FORMARUM RATIONES COMMUNI ANIMO INSEQUITUR; QUAS, QUEMADMODUM & INTELLECTUM, IN SUO GRADU PERFECTAS, TEMPORIS PUNCTO SINE VILLA IN HOC SUCCESSIONE, IN ACTUM EXCITAVIT.

Neque verò vñquam intellectus agens & a-nimus communis priùs secundum facultatem extiterunt, quām in actum educerentur. Quoniam eiusmodi essentias omnino perfecit: vt pote quāt futurā essent causæ reliquarum rerum procreandarum. Amplius quoque falsum est intellectum agentem priùs secundum facultatem extitisse, imo id etiam eiusmodi vt fieri nullo modo potuerit. Præsertim cū non minùs id quod non est, quām id quod est, in se contineat: sed substantia sit vtriusque effectrix: Quod ad essentiam potentem & efficacem pertinet. Quoniam si ens dicatur forma materiata, & quod ex materia atque forma compositum est, non ens autem materia informis, sique præter hæc tria nullum superest medium: intellectus nihil horum erit. Quia si vt aliquid horum inter ea quā sunt, numeretur, efficietur profecto ens quoddam esse eiusmodi prius intellectu, sine quo non existet: Quare neque erit vnum quiddam absolutum. Vt verò etiam concedatur esse non ens, quod illo modo dicitur, non tamen ab aliquo de illis duobus separabitur. Quoniam si hoc contingat, intellectus non erit intelligendi vi prædictus, sed ipse poterit intelligi. Cum tamen res quā potest intelligi, non sit intellectus, sed vt abstrahitur, intellectu ipso comprehendatur. Cum itaque effectum sit, intellectum, sic vt dictum est, principium esse omnium eorum quā sunt, accidere nullo modo potest vt quod eiusmodi siue non ens, siue ens etiam tale, qualis est ipsa forma, illum continet, aut res sit cum potestate coniuncta: sed ab omnibus quā talia sunt, abstrahetur. Itaque in ordine rerum procreatuarum agenti intellectui communis animus succedit. Cum hic appetitione sua ad illum ascenda: vt ab eodem propriam perfectionem suscipiat: nempe lumen quod ab hoc influit. Sciendum tamen est, animum non sic ad intellectum accedere, cum virtutem ab illo influentem recipit, vt eundem imitari possit & intueri: neque eum in contemplatione intellectus agentis extendi, sed vñri valde que erigi. Neque tamen ob id huic lumen deest quod ab intellectu est accommodum: præsertim cū cum sic attingens, perfectionem suam statimque ac naturā consistentiam assequatur. Cuius rei exemplum Plato assignauit, cū intellectum similem esse dixit puncto circuli individuo, quod angulos & latera ita continet, vt omnes lineæ ab illo orientur, in eodemque consistant. Sic vt & circulus quiddam est quod interierat formas ambit & continet.

CAPVT II.

Intelligibilis homo à sensibili distinguitur: & vtriusque propria conditio breviter explicatur: simulque eorum omnium differentia quā ad su-

A periorem mundum & ad hunc inferiorem pertinent.

Primus autem temporis puncto nullaque in hoc successione, hominem intelligibilem procreauit, atque omnibus accommodatis proprietatibus exornauit. Non autem harum vnam priùs, alteram posterius, interpositatēoris mota, dedit. Quod in sensibili homine accidit. Itaque illi quoque priori homini perfectiones omnes quā quidem ad naturam eius accommodatae, primò sunt insitæ, B neque earum vna posterior ad alteram adiecta est, vt aduentitia: sed ille in supremo orbe purus & omnibus numeris absolutus. Nec eorum quā primo data sunt, quicquam ab illo postea separatur. Eset enim ortui & interitui obnoxius, si diuersis temporum punctis sigillatim aduenticias perfectiones reciparet. Ad hæc quæcumque aliqua ex parte diminuta, adiectionem suscipiunt, ea ab agente imperfecto & ab eo quod tempore indiget, originem habent. In quibus numeratur ipsa natura. Ea verò quā sunt in supremo orbe, proficiuntur ab opifice perfecto sumimamque puritatem adepto: & quod ad illa est consequens, actionem suam temporis puncto absoluente. Quare formæ etiam illæ perfectæ sunt & puræ, eadēque ratione probæ. Quoniam inter eas nulla enumeratur quā existendi constantiam non sit adepta. Ea verò omnia in quā ortus & interitus cadunt, originem habent ab eo quod tempori est subiectum. A quo cum etiam naturalia existant (quantumvis horum principium perfectum fuerit) eadem ortui & interitui erunt obnoxia. Quācum ita se habeant, de illis priùs seorsum querendum est quid vnumquodque sit: deinde etiam propter quid. Quoniam hec duæ rationes quācunq; queruntur, non sunt in illis coniunctæ. Æternæ autem substantiae nulla antegressa deliberatione procreatæ sunt. Si quidem originem habuerunt à primo opifice, in quem non cadit cogitatio. Quoniam summam perfectionem adeptus est, quā accrescere non potest, sicut nec vlla ex parte immuni. Si quis verò opponat primarium agens potuisse aliquid efficere, ac deinde, idem perficiendo, aliud melius adiicere: dicimus, si id quod procreatum est, prius fuisset ab aliis vno modo sciunctum, deinde ad illud bonum quoddam aliud adiiceretur, fore consequens bonum eiusmodi antea minimè perfectum extitisse. Non est autē rationi consentaneum agens primum quicquam efficere, quod quidem bonum sit, sed minimè perfectum. Præsertim cū ipsum, bonum sit primarium atque supremum. In cuius opere (cū sit hoc eidem proximum) nihil boni quod quidem ad eius naturam accommodatum sit, possit desiderari.

CAPVT.

CAPVT III.

Animum, in mundo intelligibili, non solum intelligentia, sed etiam sensus esse particeps: sensumque habere non solum facultate, sed etiam actu.

Porro etiam ei substantię quę est in supremo orbe, sentiendi vis inest. Quoniam in illo continentur ea omnia quę hic sunt cum materia coniuncta: sed in illo sunt repurgata & materia superiora. Ut, verbi gratia, substantia vel scientia ceteraque eiusmodi insunt, sub specie quadam principe. Nec enim illis perfectionis quicquam deest: neque formae cognatae, priores existunt, quę sunt imperfectiores: nec verò illic membrorum in animali vlla forma est, cuius imago materiae non imprimatur. Ad quam rem nullū agens materiam commutat, nisi eiusmodi species eandem informet. Quare si quis inquirat cuius efficientis vi membrum hoc (vt manus vel oculus) conformatum sit, dicimus id ab ea forma esse perfectum, quę pertinet ad mundum intelligibilem, in quo insunt omnia. Si quis verò amplius contendat imitationem tantam animali inesse, quanta latisse possit, vt se ipse ab iis quę nocitura sunt, tueatur: e quidem hoc fatebimur. Quanquam tamen terrenæ substantiae conseruantur à principe forma supremi orbis, prout scilicet inferiora omnia in animo mundi, tanquam in causa, existunt. Qui idem optimus est ferèque par ei essentiæ quę Deo est proxima. Cum itaque omnia insita sint forme ad intelligibilem mundum pertinenti, animo scilicet communis sentiendi vis ab eo animo abesse non poterit, etiam si in orbe supremo animus intelligenti vi prædictus absolute perfectus sit, talisque ab intellectu agente puro omnino atque perfecto: vt pote qui opus quoddam sit primo opifici proximum. Amplius autem animus intelligentia particeps in orbe principe aique supremo, perfectiones omnes habet quas in hoc infimo nactus est. Quoniam causa eadem omnia continens, nulla ex parte est immixta. Quare illic homo non solum intelligentia, sed etiam sensus est particeps, neque præter intelligendi vim, eam quę sentiendi, in eum finem habet vt ad generationem aptus sit, sed quoniam in ea conditione utraque perfectio illi est accommodata. Si quis verò arbitretur animo in supremo orbe sentiendi facultatem tantum inesse, eundem autem in regione eorum quę oriuntur, re ipsa sentire, quod sentiendi facultas consistat in recipiendo quod sentiri potest, id quoque falsum esse dicimus. Quoniam in illo supremo orbe nihil secundum facultatem, sensus est particeps. De quo inter summos sapientes Babylonios maxima est consensio. Contrà

A namque absurdum foret, animi facultatem in hoc inferiore mundo ad actum excitari: cùm illa potius descendendo ignobilior efficiatur, & quodammodo interitus particeps. Ad hæc si animus in mundo intelligibili non tentaret, quo modo ea quę in sensum cadunt, ab aliis discerneret?

CAPVT IV.

Homo intelligibilis cum sensibili comparatur, præsertim in ipsa definitione, quę ab animo non continentem formam essentiæ, ducitur.

Iam verò explicatur quę conditio sit hominis intelligibilis, dicamus qualis sit is qui in sensum cadit. Quem cùm planè perfecte que non possumus cognoscere, quo modo eum assequemur, qui in supremo orbe existit? Atque fortasse cogitatio nos eò erigens, dicit hominem cùm illo eundem esse. Quare hoc primum inquiramus vtrum homo qui in sensum cadit, præter imaginem communis animi, cuius vi animal efficitur, etiam imago sit eius animi qui singulis est proprius: An vero communis animus, homo sit, is verò qui singulis inest, quique suas operationes edit in corpore, minime hominis essentiam contineat. Ut scilicet hoc modo homo, animal sit rationis particeps; non autem aliquid ex animo & corpore compositum, neque ipse animus cum certo corpore coniunctus. Quare cùm homo qui in inferiore mundo est, definitur, qui compositus est ex animo rationis particeps & ex corpore, fieri non potest vt homo hic similis sit illi superiori, quem intelligibilem atque formalem dicimus. Quare neque definitio eiusmodi vera omnino erit, sed tamē verisimilis: quoniam ea non caret principio essentiam hominis constitutente: forma scilicet per quam est id ipsum quod est. Quia cùm ita sint, illa veri hominis simplicis formalisque definitio nondum erit: sed eius qui compositus est. Nec id quod compositum est, per solam formam definitur, sed etiam per materiam: simplex verò per solam formam. Itaque veri hominis definitio sola forma absolvetur, à qua habet vt homo sit, quęque inseparabiliter est, & ad id necessaria vt dici possit animal rationis particeps. In qua definitione, animal vitam significat, quę non est nisi ab animo. Homo verò totus corpore constat & animo, qui illius forma est. Quibus positis, non effugimus quin homo proprius aut animus sit intelligens, aut eius opus. De quibus duobus si prius concedatur, efficietur hominem dici posse animum intelligentem, etiam eum qui corpus aliud ab humano erit ingressus. Hoc autem ex eo falso intelligitur, quod animus sub ratione huius nominis, non potest consistere, nisi cùm inest corpori humano, quale nunc ipse

nunc ipse natus est. Quid igitur vetat quod minus hominem semel else dicamus compositum quoddam ex animo & corpore: deinde vero animal rationis particeps, seu rationem ipsam: id est, opus animi ratione videntis? Nec enim opus eiusmodi ab alio agente potest existere. Nam ut rationes efficaces quæ seminibus insunt, arguunt hæc singula proprium animū habere, vicissimq; animi in eisdem declarant simul inesse rationes vitæ effectrices, (neque vero hoc in illis mirum videri debet, cum opera quædam sint earum partium animi quarum munus in alendo consistit,) sic animi in quib⁹ sentiendi principium, atque etiam amplius, alij qui ratiocinantur & intelligunt, quanto illustriores clarioresque sunt, tanto magis rationes vitæ effectrices declarant. Itaque animus rationis particeps prius quam cum corpore coniunctus sit; secundum eam definitionem quæ à forma dicitur, propriè homo erat: in corpore autem, alterius hominis imaginem efformauit, nempe eius qui in sensum cadit. Atque quoad potuit hunc ad illius veri hominis similitudinem accommodauit, ut eum pro sua facultate imitteret. Ac ut hominis depicta imago, hominis quidem similitudinem aliquam retinet, sed ignobilorem, (nec enim hæc hominis conditiones habet, nempe vitam, non enim progrediendi vim, neque alias facultates,) sic homo hic qui in sensum cadit, (cuius forma est quidem animus rationis particeps; sed ea imperfecta,) imago est primi illius hominis atque diuini. Animusque conatus est vero homini hunc hominem ipso lumine similem efficere, cum illi indidit rationes hominis primarij, sed imperfectiores tamen: ut pote per paucas atque singulares. Si quidem homini primario potentes & efficaces sensus insunt, illustrioresque quam huic homini qui in inferiore mundo, illius quædam figura existit.

CAPVT V.

Quo modo homo qui sensibili mundo continetur, preparandus sit & excitandus ad intelligibilis hominis contemplationem.

Eum qui primatum hominem & verum contemplaturus est, probitate atque dignitate oportet esse exornatum, sensusque potentes habere, ne hebescant cum ab illo supremo clarissimi radj exorti, in hos effundentur. Si quidem primarius ille homo ac versus, clarum lumen est, in eodemque insunt omnium quæ ad hominem pertinent, rationes insignes. Atque hic homo est quem Plato definiuit, nisi quod præscriptæ definitioni adiecit, cum dixit hominem animal esse rationis particeps: id est vitam siue animum rationis participem, cui accommodatum corpus subseruit. Huic nampe animo corpus quidem

A primo subseruit: secundo loco animo diuino eidemque nobili, nempe per intermediam eam animi partem in qua est sentiendi principium. Cuius comes anim⁹ rationis particeps, potiorem vitam dat, neque tamen propterea ex supremo orbe ad infimum descendit, sed sua vi influit. Neque enim animus rationis particeps, ex illo intelligibili mundo in hunc sensibilem delabitur: sed coniungitur cum animo qui ab eodem dependet. Quare hominis huius ratio etiamsi imperfecta sit, ipsa tamen origine ab illa excelsa, nobilitata, cum eademque unita, potentior efficietur. Eaque de causa nonnulli dixerunt, animum qui singulis inest, eius qui communis est, partem quandam esse.

CAPVT VI.

Animo in mundo intelligibili, non solum intelligentiam atque rationem inesse, sed etiam sensum: at modo meliore quam in hoc inferiore mundo.

Si quis vero inquirat quo modo possit contingere ut animus sentiens qui in superiore mundo nobilioibus sensibus erat praeditus, deinde existat in infimo atque ignobili; respondebimus, sensum in illo supremo orbe, nobili substantia eidemque intelligendi vi praeditæ, inherenterem disparem esse, & huic ignobili dissimilem. Quia in illo longè superior est. Si quidem sensus unus alterum superat, non aliter quam de ijs quæ sentiuntur unum altero est praestans. Quare inferioris hominis sensus ab illius superioris sensu dependet, hincque cum illo coniungitur: eademque ratione homo hic ab illo sensum accipit: quemadmodum ignis hic cum superiori coniungitur, ab eodemque profluit. Porro ei etiam animo qui in superiore mundo est, sensus insunt: quoniam illic corpora sunt universa, sicut & hic singula. Animusque illa superiora sentit, sicut homo qui secundarius est, illius primarij quædam imago, hæc inferiora. Itemque homo hic cum corpore coniunctus magis sentit: ille vero incorporeus magis intelligit. Et cum illi primario rationes ad agendum efficaces insint, amplius etiam lumen suum cum secundo homine communicat, atque etiam cum tertio qui in mundo est infimo. Quæ cum ita sint, homini corpore constanti, utriusque hominis prioris, cuius imago est, operatio inest, quoniam opera quædam edit hominis ratiocinantis & eius qui ad intellectum pertinet: quanquam utraque imperfecta, quia imago est alterius imaginis. Iam igitur confirmatum est primarium hominem sentire altiore sensu quam infimum: superioraque nullam vim ab inferioribus influentem recipere, sed contra, inferiora à superioribus. Quandoquidem ab illis pendent, cum eadem sequantur, quibus in suis qualitatibus aliqua ex parte sunt similia. Itaque homo hic ab illo supremo vim accipit: & quanquam etiam

sensus sit particeps, minimè tamen hunc cum illo parenti habet qui purè sentit, ut pote ea quæ sunt altiora. Illic namque aspectus uniuersa intuetur, hic singula, propter imbecillitatem. Ille quoque potentior est, quoniam incidit in obiecta illustriora & insigniora quām sensus, qui cum corpore coniunctus, imperfectus est: ut pote qui ignobilia intuetur & vilia, in quibus superiorum sunt simulachra. Homo itaque qui ad intellectum pertinet potens est, & talem habet sensum qualem exposuimus.

CAPVT VII.

Rerum omnium formas mundo intelligibili contineri, & quomodo in illo vniuantur.

SI verò cùm iam à nobis dictum sit sensum infimum ab illo excellentissimo habere originem, rursus aliquis percontetur, quid de ceteris animalibus sit constituendum, quo modo scilicet ea Deus procreauerit, an primi animo conceperit formam equi aliarumve belluarum: deinde ea in mundo hoc sensibili procrearit, non autem in mundo intelligibili: dicenius id quod antea probatum videtur, ijs rationibus quæ ad demonstrandum satis habent virium, Deum, omnia, nulla antegressa deliberatione procreasse. Prius si quidem supremum mundum, in quo sine villa cogitatione constituit formas omnes puras atque perfectas: ut pote quæ cum sua essentia, sine affectionibus sunt procreatæ: postea verò mundum hunc in sensum cadentem, ut imaginem illius qui interitus omnino est expers. Quare cùm equum aliâne belluam procreauit, non solum in orbe supremo (in quo puræ perfectæque animalium omnium species altiore quodam modo collocatæ sunt) sed etiam in hoc infimo belluas procreauit. Alioqui in illo procreandi vis aliqua ex parte esset immunita: quod dicinullo modo potest. Præsertim cùm virtus ab hac alia nulla, ad omnia extendatur, eaque nec ad locum villum deferatur, nec eo certo concludatur, cùm sit infinita. Si quis verò amplius urget credibile quidem esse animalia quæ rationem habent, cùm sint nobilia, in superiori mundo existere, multitudinem autem belluarum rationis expertum maximèque ignobilium in eodem esse, probabile nullo modo videri; nos ad eius explicationem afferemus, opificem primum vnum esse, eiusdemq; essentiam (sic ut saepius iam dictum est) eandem esse cum existentia: atque hunc procreuisse mundum intelligibilem vnicum. Sed quoniam dedebat, rei procreatæ unitatem, procreantis unitati omnino æqualem esse (nec enim sunt eadem) idcirco quod primum procreatum est, deinde plura procreat. Si quidem posteri^o est eo procreante quod vnum est omnino: Præterim cùm illi æquale esse non possit, prius

A verò multo minus. Non est igitur cum illo æqualiter vnum. Itaque plura esse oportet. Quoniam multitudo unitati ita est contraria, ut inter ea nihil sit interiectum. Unumque perfectum est, multitudo imperfecta. At si multitudo est, saltem binario eam oportet contineri. Quod autem ex duobus vnum est, absolute vnum esse non potest. Quando verò minus ex duobus vnum fiet, eo modo quo vnum est eorum quodlibet singulum? Nam in binario primum deprehendes motum & quietem: & quamvis ei intellectus insit, non is tamen est qui vnum est maximèque abstractus, à quo omnes alii originem habent, & per quem omnia intelliguntur: sed qui multiplex effectus est, sicut & alii multi intellectus: quos animus ipse sua multitudine vincit: qui inter eos existit non ut vnum separatus, sed ut in quo omnes alii animi vniuntur. Ut pote à quo tanquam solo perfecto manat intelligentiæ vis quæ singulis inest. Cūmque inter varias animi species dubium non sit quin is supremo orbe contineatur qui intelligentia est particeps, in eodem quoque reliquos oportet existere. Atque cùm illic materiæ expertes sint, erunt etiam & animalia materiæ expertia. Effectum itaque est mundum supremum omnium animalium varias formas inse continere.

BC CAPVT VIII.

Explicat eas dubitationes quæ nosci posse videbantur ex eo quod conclusum est capite superiore, varias formas animalium, etiam vilium, mundo superiore nobilissimo contineri,

DE **S**i quis autem contendat posse quidem animalia nobilia in mundo nobili collocari, minimè vero ignobilia, qualia sunt quæ rationis expertia: quandoquidem si nobile est quod rationis particeps, in ignobilibus haberi necesse est quod rationis expers: si que nobile in loco nobili, in eodem ignobile non poterit consistere: quo modo enim in intellectu erit, quod non est intelligibile? Intellectum verò dico mundum supremum, qui totus hic ad intellectum pertinet: quippe cum quo & à quo ipsi intellectus sunt: Id hoc exemplo præposito sic explicabimus. Quemadmodum homo infimus supremo non est persimilis: quia ille cogitationem non adhibet ad res cognoscendas, sed cogitante prior est: sic nec belluae quæ apud nos sunt, illis summis, quæ eadem nobilissimæ, omni ex parte sunt similes. Si verò amplius aliquis hoc adiiciat, animal rationis particeps nobile, hinc ad res ipsas cogitationem adhibere, alia autem minimè, cur igitur illic omnia sunt in intellectu? Nos quidem dicim⁹, intellectum illic varium esse, & multiplicem. Quoniam humanus eo qui ad belluam pertinet, superior est: Ex quo minimè dubium quin humana cogitatio ab ea quæ

ab ea quæ belluis inest, sit distincta. Siquidem cogitationes plures in belluis cum ratione coniunctæ sunt, ipsaque cogitandi vis in illis intellectus quidam est singulis proprius, per quem distinguunt quæ sensu comprehenduntur. Vis autem cogitandi in homine rem sensu perceptam ad intellectum defert: quam si approber, simul quoque recipit: si verò improbat, reiicit. Nonnunquam etiam reflexus ad sensum iterumque ad se reuersus, rem eandem saepius apud se versat: donec ei ut manifestam veritatem habenti, omnino assentiat. Si quis hoc quoque scire velit cur cùm belluarum vtrarumque functiones cum cogitatione coniunctæ esse dicantur, non sint inter se pares: aut si ratiocinandi facultas cogitationis humanæ causa est, cur ad eiusmodi cogitationem non sint omnes homines ex æquo parati: constituendum est, cogitationum inter se quandam esse differentiam, itemque intelligentiæ vim ab illarum vitæ motibus originem habere. Propter hæc enim animalia superna & infima diuersa extiterunt, diuersisque in eisdem intellectus, sicut & cogitandi vis, si quidem illa his perspicaciora sunt. Quoniam humanus intellectus primis intellectibus propinquior est, atque idcirco aliis quoque clarior. Intellectus enim quidam primus est, vt diuinus: alias secundus, vt ratiocinans & humanus: tertius infimus, rationis expers, vt belluarum, qualis est cogitandi vis ab illo nobilissimo intellectu longo intervallo sciuncta. Animal etenim quod hic rationis particeps dicitur, illic quoque est eiusmodi; & quam hic dicimus belluum, eam illic intellectum habet. Si quidem cogitandi vis quæ secundo equo inest, illic intellectus esse dicitur. Neque enim equus potest intelligi nisi cogitandi vis in equo primario, intellectus sit. Quoniam intellectus idem est cum re quæ intelligitur, ex eoque intellectus id solum intelligit quod munera intelligentiæ etiam est particeps. Ac vt vita quæ singulis inest, sine vita absoluta non est: sic neque intellectus singulorum sine intellectu absoluto: imò verò ab ipso est. Quare hoc quoque asserimus, nullius belluæ intellectum, sine intellectu absoluto existere. Intellectum autem hunc absolutum cùm homini inesse coepit, singularem esse factū & à se ipso alterum: itemque cùm equo inerit, singularem fieri & ab humano diuersum. Quod de reliquis animalibus eodem modo est intelligendum. Quotiescumque enim intellectus descendit, ignobilior efficitur: quantoque vita facultas infirmior redditur, tanto quoque ille imbecillior. Vnde animal obscurum & ignobile existit. Cui quando imbecillum ingenium inest, intellectus compensans valida membra dat, ad æquādā facultatem: vt verbi gratia canibus, quos pro vita deficiente, sic quadam ex parte perfectit. Oportet enim animal unum quodque perfectionem aliquam consequi ab intellectu in

A quo virium vitaque est principium. Quibus si quis opponat repetiri bruta quædam animalia imperfecta, tantaque imbecillitate praedita ut noxia à se non possint repellere; dicemus in natura talia esse perpaucia.

CAPVT IX.

Car sensilem mundam rebus specie differentibus constare oportuerit, & quo modo haec intelligibili mundo habeant suum exemplar, cui similitudine quadam respondent.

B **P**orrò animalia in ordinem adducta sunt & omnia pro sua capacitate, perfecta. Quoniam à primario intellectu pro sua facultate intellectum & vitæ habent. Neque enim, vt diximus, rationi erat cōsentaneum ut quod procreatrum est, unum esset omnino, suoque auctori omni ex parte æquale. Quare procul dubio unum esse oportuit ex pluribus compositum. Ex pluribus autem similibus componi non potuit: alioqui de iis uno sufficiente, alterum fuisset otiosum. Itaque ex dissimilibus procreatrum hoc oportuit: singulis eorum seorsum existentibus, secundum formas proprias.

C Formarum enim dignitas existit secundum nobilitatem similium animalium: quorum unum sub altero continetur. Necesse est ergo animalium gradus esse inæquales. Quorum singulis coniectione quadam, sentiendi vis inest ad cuiusque naturam accommodata. Sic orbis hic infimus rebus constat inter se differentibus, quarum una alteram dignitate vincit. Hęque singulæ quodam modo unius mundi rationem obtinent, qui sua quoque dignitate est exornatus. Quibus ita constitutis, reversi ad id quod initio erat propositum, colligimus D tandem omnem formam naturalem aliam quandam sibi similem atque respondentem in supremo orbe habere, sed nobiliorem. In hoc enim ea à materia pendent: illic verò minimè: hęque illius est imago. Quare illi etiam insunt ignis, aëris, aqua & terra, quemadmodum & plantæ. Si quis autem disputet, talia in supremo orbe esse non posse: quoniam si insint, ea necesse sit aut vitalia esse, aut vita expertia: si verò illa vita expertia sint, quo modo hęc illis indigent: aut si vitalia esse dicantur, quomodo talia extiterunt? Respondebimus, plantas illic vitales esse, quoniam etiam vivunt. Plantæ autem supra animum qui proprius est & cum materia coniunctus (quandoquidem hic platta materiata est,) nobilior quædam ratio inest vita effectrix. Atque vero consentaneum est, rationem aliam inesse plantæ superiori, eidemque primariæ atque nobilitati. Quoniam hęc ratio inferior ab alia dependet, rationesque istiusmodi multæ sunt & singulares. Singulum autem est ab uniuerso. Ut ex iis effici videatur plantam hanc compositam illius uniuersæ ramum quendam esse.

E **G G G**

Quare si hæc vitalis est, multo magis illam superiorem, quæ primaria est atque vera, vitalem esse oportet.

CAPVT X.

Terram mundi sensibilis vita participem esse. Unde concludit idem longè verius de terra mundi alterius dici posse.

VTRUM verò terra orbis supremi vitalis sit, intelligere poterimus, cùm hanc infinitam, quæ illius imago est & figura, erimus contemplati. Huic autem vita quædam inest & ratio vitæ effectrix: sicut argumento esse potest forma eiusdem commutabilis. Si quidem ipsa accrescit, montesque, (qui naturam terrenam habent,) congregat, atque eisdem dat incrementum. In mediis etiam motibus meatus plurimi interiecti, & concavitates riuique & alia quædam per animum, qui eiusmodi formatum causa est effectrix. Talis verò terræ ratio formatrix interioribus operationibus, secundum naturam sibi similem efficit arborem arborique ramum, postquam excisus est. Ex quibus colligemus rationē animi, terræ inesse, etiam si hæc suapte natura ad seruendum sit comparata. Neque enim ea vitæ omnino expers, usque adeò admiranda opera posset edere: sed si vitæ opera exercet, eandem quoque vitæ participem esse oportet. Si verò terra hæc quæ in sensum cadit, vitam haberet, quanto magis ei inerit quæ primaria est? præsentim cùm hæc secunda tantum sit, & ab illa exorta?

CAPVT XI.

Explicatur perfecta conditio omnium eorum quæ sunt in mundo intelligibili, & qualis in eodem contemplatio.

HOCE ETIAM affirmamus, omnia quæ in supremo mundo sunt, illustria esse, ut pote quæ clarissima luce perfruuntur. Quare eorum quodlibet alia omnia per essentiam & in alterius essentia intuetur: illicque omnia sunt in singulis, itemque in omnibus, & lux ab eisdem exorta, est infinita. Ac de illis unum quodque sua maiestate, (cuius virtus infinita,) est maximum atque purum. Illic quoque vicissim retro commeando licet, exempli gratia, dicere sollem esse stellam omnem, & omnem stellam, solem. Sed quæ supra alias excellit, vocatur sol: quæ verò non excellit, ea absolute stella nominatur. Sicque quodvis in altero cui inest, conspicitur, & uniuersum in unico videtur, unicumque in uniuerso. Illic quidem motus est, sed occultus: quoniam neque principium haberet, neque finem, nec ab eo quod mouetur, diuersus est, sed illud ipsum est. Ibidemque perfecta quies, neque per motum descripta. Non enim ea motum continet. Sensus quoq;

A perfectus: quoniam nihil omnino est quod illo non possit percipi. Summaque in eodem firma sunt & constantia, atque adeò ipsa terra. Si quidem ea illic talis non est, qualia sunt hæc insima. Est quidem superna substantia insimæ similis, cum qua genere conuenit: sed hanc dignitatis gradu superat. Neque verò adhuc locus quisquam est superior in quo sit: quoniam ipsa sibi cum subiicit & supra cunctem attollitur. Consimili autem modo se habent intellectus orbesque cælestes aspectabiles & lumen syderum eiusdemque lux superior. Si quidem de ipsis orbibus unusquisque ab altero, suo loco distinctus est, rationemque partis habet à toto distinctæ. Non sic verò se habent partes cælestium orbium qui in mundo sunt ad intelligétiā pertinente. Quoniam in illis pars qualibet cum toto est eadem, parique perspecta totum quoque perspectum est: sicut & contratum intuendo, partem quamlibet perspicis. Quandoquidem dum aspectus in unam partem extenditur, subtilitate sua ac celeritate omnia penetrat: nō aliter quām si quis terram intuens, videret etiam ea quæ in hac sunt intimæ. Contemplatio quoque supremi mundi, intellectui nullam defatigationem patit, neque satietatem, aut tedium, quoniam in ea nihil omnino deficit: illicque intellectus ostemplans, non tantum unam partem intuetur, sed omnes quæ sunt optimæ, & à quibus voluptate afficitur. Si verò unam tantum partem intueretur, ea neque esset optimæ neque intellectui voluptatem allatura. Præterea quæcunque essentiae illic sunt, interitus experies sunt, nec ullum unquam finem habituræ. Neq; verò (quod in aliis contingit) qui illie alia intuetur, amittit aut restinguiri se sentit cupiditatem harum rerum inspiciendarū: sed quo magis contemplatur, eo magis expertit & admiratur, neque intuendo defatigatur, sed magis ac

D magis confirmatur. Neque substantiae illic degentes vitam habent laboriosam, aut ullis calamitatibus obnoxiam, sed suauem: quoniam puræ sunt & materiæ omnino expertes.

CAPVT XII.

De autore omnium eorum quæ sunt in intelligibili mundo, queritur: itemque de ipso verbo, quo modo se habeat ad mundum intelligibilem, & ad huius autorem.

VÆ ETIĀ in illo supremo orbe sunt, eadem procreata sunt à verbo primario, in quo ea substantia est quæ inter omnes obtinet principatum. Non ita tamen ut essentia prius, posterius intelligendi functio procreata sit, (sicut in secundis substantiis contingit,) sed duo illa simul procreata sunt: quoniam intelligendi munus, ipsius intellectus est essentia. Hoc tamen adiicio, quod intellectus se ipse primò intelligit, secundò autem suum intelligendi munus.

Quemadmodum Iouis stella reflectitur ad suā substantiam, quam propriam habet inter cælestia, quæ terrenæ sunt imagines & figuræ à supernis impressæ Itaque illa affecta sunt qualitatibus admirandis, ad quas nulli penetrant, nisi post multiplicem in contemplando conatum, viri beatissimi. Præcipuè verò est eiusmodi verbum diuinæ sapientiæ, omnium potentissimum. Quis igitur maiestatem & virtutem eius, ut pote principis, poterit complecti, & eiusdem veram essentiam intueri? In hoc verbo omnia sunt aspectabilia, & ab hoc quoque procreandi potestas omnis deriuata. Est enim verbum eiusmodi vittus, actusque princeps, proximus proximo procreato: in quo potesta, nullo alio medio interiecto, causa exticit omnium aliarum substantiarum ad intellectum pertinentium: per quas intermedias omnia quæ in sensum eadunt, intellectu agente continentur, tanquam eo quod primò procreatum est, & ad quod ut eiusdem opera, certam proportionem habent: Sicut & ipse intellectus agens, ad supremum opificem, cuius etiam opus est. Ad quem ut magis uniuersum contemplando conuersus, attollitur atque communis causa efficitur, procreans alia omnia quæ suo ordine subiecta sunt atque distincta.

CAPVT XIII.

Quibus gradibus nobis ad mundi intelligibilis cognitionem sit ascendendum, quoque haec à communi cognitione humana distinguatur.

Nemo verò potest ea quæ in supremo orbem sunt, penitus intueri, nisi qui auctis viribus intellectus, sensus composuit, qui que assidua mentis contemplatione scientiam adeptus est, minimè tamen per eas rationes quæ ductæ sunt à rerum imaginibus atque signis, quales sunt dialecticæ. Nos verò minimè ad illam luculentam pulchritudinem contemplando aspiramus: quia sensus dominantur: neque quicquam assentiendo probamus, nisi quod cum corporibus est coniunctum. Ex quo accedit ut non opinemur, nos quicquam discere, nisi conclusiones eliciendo ex pluribus principiis antea positis. Quanquam neque hoc verum est in omnibus disciplinis, quarum cognitio in vita hac comparatur. Quoniam principia quædam evidentia discuntur, etiam si hæc nulla facta ex aliis deductione probentur: quia ipsa prima sunt. Quanto magis igitur illa superiora intelligentur, quanquam ex principiis nullo modo sint conclusa? Sed illic absolute veritas perspicitur, sine ullo omnino errore aut fallacia: quandoquidem illa non per medium cognoscuntur. Cùm enim simplicia sint, nihil admixtum habent quod alienum sit, vel aduentitium. Qualia multa inter ea quæ ter-

A rena sunt, incidunt, quæ non verè perspicuntur. Itaque qui de supremo mundo talis ne sit quallem descripsimus, adhuc dubitat, is ab illo auersus est. Qui verò inter nos animum superauerint, hi illum tam manifestè comprehendunt. Quare rursus dicamus Babylonie regem orbem illum mente contemplatum, & eorum quæ in eodem viderat, adhuc memorem, hæc retulisse, illic non esse quicquam in altero: neque amplius quale id esset expusisse: sed inchoatam narrationem dimisisse, B ad quam absoluendam exordium eiusmodi constituatur: Omnia effici per aliquam scientiam, siue partam, siue ingenitam: scientiamque partam, naturæ quandam imitationem habere; hoc ipso scilicet quodd sciens ad id aspirat ut aliquid reddat naturæ simillimum. Scientiam autem ingenitam naturalemque non esse multiplicem, sed unicam. Quæ sit talis insit intellectui agenti atque primario, per se inest, nec eam potuit ex alia priore discendo comparasse. Si quis autem querat unde hæc profecta sit intellectus agentis dignitas, eam illi à natura propriam esse dicimus: in eoque consistentes, ad aliam rationem non progrediemur. Si quis verò neget intellectus agentis scientiam naturalem esse, eo redargetur, quodd si in illo eiusmodi scientia parta dicatur, per aliam superiorem eum didicisse, aut per essentiam propriam erit necesse: quod fieri nullo modo potest. Si quidem neque intellectus agens tamē essentiam à Verbo diuino accepit, ut sua essentia ipsa sit scientia, quemadmodum ipsum Verbum: sed intellectus agentis scientia, in eodem qualitas quædam est, non eius essentia. Scientia autem vera scientis est substantia: substantiaque vera eiusdem est scientia. Atque hanc scientiam quam veram dicimus, substantia prima à se ipsa habet: nec ultra substantia tali scientia carens, vera est substantia: sed, quod est consequens, ea tantum quæ secundum partem dicitur.

D E

CAPVT XIV.

Superiora revocat ex Platoniceis, sicut & Platonica ex Ægyptiis: qui locus pertinet ad intelligendam hanc operis inscriptionem.

In iis quæ mundo supremo continentur, nihil est secundum substantiam altero nobilius, sed omnia in illo sunt secundum formam optimam: quemadmodum & formæ quæ in mente architecti effectrices sunt, inter se sunt pares, & à rebus effectis differunt, ut exempli gratia ab iis figuris quæ parieti sunt inscriptæ. Quare illas supremi mundi formas veteres exemplaria appellaverunt: in quibus Plato inferiorum substantiam sitam esse dixit. Sapientesque Babylonii & Ægyptii mentis acuminè ad illa supremi mundi abdita penetrantes, cuius species scientia complexi sunt, eaque

quam vel ab aliis acceperunt, vel ipsi pepere-
runt, sibi que sua professione vendicarunt. Si
quidem cum aliquid erant explicaturi, doctri-
nam adhibebant non humanam, sed quæ in-
telle&tu continebatur: Adeò ut nonnulli eos
consulentes, non satis firmiter se horum ser-
mone sententiisque oratione expressis, erudi-
tos arbitrarentur. Animorum conceptus, si-
cūt ipsi oculati testes sumus, in lapidibus per
figuras describebant: idemque in omnibus
scientiis & artibus faciebant. Deinde lapides
in quibus illa erant descripta, in templis col-
locabant, & quasi paginas perlegendas exhi-
bebant, talesque librorum loco, illis erant in
usu. Hoc verò illi fecerunt ut indicarent in-
tellectum agentem materiæ expertem omnia
procreasse secundum cuiusque propriam es-
sentiæ rationem atque similitudinem. Quod
in eorumdem doctrina optimum fuit atque
pulcherrimum. Ac utinam eo etiam indica-
rent qua via assequi potuerint formas illas ad-
mirandas atque reconditas. Eset enim illo-
rum factum laude dignius. Quoniam eorum
cognitio paucissimis viris est concessa.

CAPVT XV.

*Concluditur ex superioribus questio de rerum om-
nium procreatione à primo opifice.*

CVM verò Ægyptiorum scientia de su-
pernis rebus admiranda sit, quanto ma-
gis admirari nos oportet sapientiam principis
substantias eiusmodi in supremo orbe pro-
creantis? Neque verò inquirendum est pro-
pter quid hæc talia sint procreata. Quoniam
ea in dignitate rationes summas sunt adepta,
essentiæque putæ sunt, quas complures Deus
sine vlo cogitationis discursu procreauit. At
inferiorum pulchritudo absoluta non est: quia
hæc facta sunt ab agente intuente in illas ratio-
nes perpetuas, iam antea expositas: quæ præ-
fæ sunt à primo opifice præter cogitationem
pulchritudinis, quæ alterius rationis est. Quis
enim non admiretur virtutem essentiæ in illo
ente nobilissimo & supremo, quod quidem
cætera omnia procreauit sine vlla consulta-
tione, vi suæ essentiæ in qua inest rationum
omnium principatus? Itaque essentia eiusmo-
di nulla rerum talium exploratione indiget,
neque externa pulchritudine. Quoniam ipsa
sibi est satis. Idque nos maiorum nostrorum
sententiam secuti affirmamus. Si quidem illi
vno consensu asseruerunt mundum non à se-
ipso factum esse, neque fortuitò: sed ab archi-
tecto omnium sapientissimo nobilissimoque,
& ab omni ratione rerum procreataram ab-
stracto. Rursus tamen nobis inquirendum est
an in huius mundi constructione antea medi-
tando, omnia quæ moliebatur, in se concepe-
rit: atque adeò singula procreando, primùm
terram vt in orbem mediā, secundò aquam ter-

A ra superiorem, tertio aërem supra aquā, quar-
tò ignē aëre quoq; superiorē, quintò cælestes
orbes omnia complexu suo continētes, sextò
plantas, animaliaque specie quidem à se inui-
cē differentia, sed in cōmuni animalis natura
conuenientia, in iisque externas partes & in-
ternas conformando, prout singulæ suis fun-
ctionibus sunt accōmodatæ. Primum verò si
formæ rerum quæ mundo continētur singulæ
diuinæ mentis cogitatione comprehensæ sunt
ad opera rectè instituenda, earum vna priùs,
altera posteriùs, vt imago quædam à Deo erit
procreata. At in opifice sapiētissimo substan-
tiæq; suæ nobilitate omnia alia superante, non
est hoc rationi consentaneum. Neq; verò ma-
gis dicendum est, Deum prius in se ipso cogi-
tatione esse cōplexum res eas quas molieba-
tur, deinde has procreasse. Res enim eiusmo-
di cogitatione cōprehēsæ aut extra illū erant,
aut in ipso. Sique extra ipsum, priùs extiterūt
quām creatæ sint. Si verò in ipso erant, ante-
gressa igitur earum cogitatione nō indigebat.
Quoniam ipse eo modo se habentes rū alia-
rum principia extiterunt. Itemque Deus ipso
autor est rationis eius quæ cogitationis discursu
continetur: neque hanc alia cogitatio est
Cantegressa, alioqui futura effet in infinitum
progressio. Quod quidē falsum est. Amplius,
artifex qui prius habet conceptū opus in quod
animum intendit, quodque agendo imitatur,
ad illud absoluendum instrumētis indiget. At
supremus opifex facturus aliquid, nullam alia-
rem procreatam imitatur: sed formam ipsam
nouā procreat sine alia imitabilem: neq; ad id
pro instrumēto adhibet rem vllam procreatā.
Quia omnino nulla externa re adiuuatur, sed
omnia sua virtute perficit. Effectum itaq; est,
Deū cuius nomen exaltetur, vniuersum pro-
creasse sine vlla consultatione, aut cogitatio-
nis discursu. Atque euersæ suntrationes qui-
bus in partem contrariam aduersariorum ora-
tioni niti videbatur. Procreauit autē Deus pri-
mo substantiam vnicam, nempe intellectum
agentem: quem exornauit lumine inter cæ-
tra quæ procreata sunt, clarissimo atque excel-
lentissimo. Cuius quidē beneficio suaque vir-
tute & simplicitate, ipse intellectus agens ci-
dem est proximus. Atque hoc eodem inter-
medio supremus orbis procreatus est, qui in-
telligētias & animos cōtinet. Ac per cūdē in-
nouata sunt inferiora in sensu cadētia, illis cō-
Dtēta & aliqua ex parte similia: nisi quid ea quæ
supremus orbis cōtinet, pura sunt, perfecta &
omnis mixtionis expertia. Alioqui neq; perpe-
tua essent, si dissolui possent: & cōiuncta essent
cū forma prima vsque ad postremam. Materia
enim cōmuni forma primū informatur, poste
cam recipit quæ propria elementorū, indēque
alias suo ordine sibi inuicē succedētes. Quare
nemo illam subiectā potest intueri: quoniam
formis pluribus occultis & ad ipsos sensus mi-
nimè pertinentibus est induita.



ΕΚ ΤΟΥ

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΙΚΟΥ

ΠΕΓΛΟΥ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΟΜΗΡΙΚΟΥΣ

ηρωας Επιτάφια.

FRAGMENTA HOMERICI PEPLI, EPITAPHIA CONTINENS QVORUNDAM HERORVM HOMERICORVM.

GUILLELMO CANTERO INTERPRETE.

Penelei in Bœotia.

Ἐπὶ Γίνελεω, κειμένου σὲ Βοιωτίᾳ.

HVnc ad Cephisi rapida abscondere
gementes

Fortem Bœoti flumina Peneleum.

Ascalaphi & Ialmeni, Minyæ.

Ascalaphi, Troiae domiti, cui frater adhæret
Jalmenus, hoc Minyæ detinet ossa solum.

Aiacis Oilei F. in Mycono.

Heic Locri pelago submersi terra dynastæ

Aiacis corpus seruat Oiliada.

Elpenoris, ad Troiam.

Quem tulit Eubœa, princeps Elpenor Aban-
tum,

Hac vacuum posuit Troade corpushumo.

Menesthei, Athenis.

Ductor castrorum, Petei stirps clara Mene-
stheus,

Heic terræ corpus reddidit eximum.

Aiacis Telamonij, ad Troiam.

Huic ego tonsa comas magni miseranda de-
centes

Aiacis Virtus affideo tumulo,

Ingenti pulchrum pectus concussa dolore,

Cum Græcis potior me dolus extiterit.

Tom. IV.

TOY οὐ δέππει Κιφιασῶ ποτε μῶδεσθμ ὀκὺ
ρέοντες

Πάγδεις Βοιωτῶν σώφρονα Γίνελεων.

Ἐπὶ Ασκαλάφου καὶ Ιαλμένου.

Ασκαλάφου Τερψί φθιμόνου καὶ Ιαλμένου
Οσει πλεξίπτων γῆ Μιδυαῖς κατέχει.

Ἐπὶ Αἴατος τῆς Οἰλέως, κειμένου σὲ Μυκέναι τῷ
τησφ.

Ἐρθαίδετῶν Λεχραῖν ἡγήτρα γάγα πατέρες
Αἴατ' Οιλιαδῶν σὲ πελάγει φθιμόνον.

Ἐπὶ Ελεφύνωρος, κειμένου σὲ Τερψί.

Νήσου ἀπὸ Εὔβοις Ελεφύνωρος προχόν Αβα-
τῶν,

Ἐρθαίδετῶν Τερψί μοῖρα κατέχει βίου.

Ἐπὶ Μειεθέως, κειμένου σὲ Ανδιώας.

Ταξιλογεις λαθαν, ύστος Γεπεδο Μειε-
θείς,

Ἐρθαίδετῶν ιχθύην πατέρες μοῖρα κατέχει.

Ἐπὶ Αἴατος Τελφευτίου, κειμένου σὲ Τερψί.

Ἄρι ἐγὼ αἱ πλάνωρ πρεστά πολὺ ταῦδε καὶ
θημα,

Αἴατος τύμβοι κειραλένα πλοκάμεις,

Θυμὸν ἄχει μεγάλος βεβολημένα, οὐεκ' Αχαιοῖς

Αδολέφρων αἴπατε χρέαστο εμοῦ κέχρισι.

GGG iii

Ἐπὶ Τύμχῳ, κειμένου σὲ Σαλαμῖνης Κύ-
τωσυ.

Ιαὶν ὀχυμόρων Ταμίαι, Τελεφρίνιον ἥδε
Τύμχον ἐποφθίλιμον γῆ Σαλαμῖς κατέχει.

Ἐπὶ Δομήδος, κειμένῳ σὲ τῇ Ομονύμων θρῷ.

Αἰντὸν πολύτελον ὅπερ θυσίας Διομέδη

Ηδὲ οὐρανοῦ κατέχει τὴν Κύρον οὐρανού,

Ἐπὶ Σφεέλου ἐπὶ Εύρυαλου, κειμένῳ σὲ Αργά.

Αργεῖος Σφεέλος Καπδυνίος, ὡδὲ τεθαυταῖς

Τύμβῳ, χεὶς πούσῃ πλησίος Εύρυαλος.

Ἐπὶ Αγαμέμνονος, κειμένου σὲ Μυκηναῖς.

Λάματεις Απρείδεω Αγαμέμνονος ὡξεῖτυμ-
σορ

Ος θάνατος Αιγαίου δὲ οὐλονθόντος αἰρέχει.

Ἐπεργοῦ.

Μῆματος Ἀπρείδεω Αγαμέμνονος, ὡρὰ κα-
τέκτα

Δῖα Κλυταιμνήστρη Τιαδαείς οὐχ οἵσιας.

Ἐπὶ Μενέλαος.

Ολβίος, ὡς Μενέλαος, σύτ' αἴταρας καὶ αγή-
ρως,

Ἐπὶ Μακάρων τῆσσις, γαμβρέ θεος μεγάλου.

Ἐπὶ Νέσορος, κειμένῳ σὲ Γύλα.

Τὸν βαθιώντα Φυχῶν τε κόκκινα τε φεῖον ἔχοντα

Αἰδρίαγαδός κατέχει, Νέσορα τὸν Γύλιον.

Ἐπεργοῦ.

Νέσορα τὸν Γύλιον ἥγετο εἶδε θανόντη
Γῆ κατέχει, Βουλῆ Φέρτατον ἥμερον.

